180 f.
k

JOANNIS BATTELY

S. T. P.

Archidiaconi *CANTUARIENSIS*

Opera Posthuma.

VIZ.

Antiquitates *Rutupinæ*

ET

Antiquitates S. *Edmundi* Burgi

AD

Annum 1272 Perductæ.

OXONIÆ,

E THEATRO SHELDONIANO,


A. D. MDCCXLV.

Imprimatur,

EUS. ISHAM,

Vice-Can. OXON.

Dec. 3. 1745.




ANTIQUITATES
Rutupinæ.

AUTORE
JOANNE BATTELY S.T.P.
Archidiacono CANTUARIENSI.

EDITIO SECUNDA.

Castri & Portûs Rutupini ab Austro Prospectus



Vid. Rev. J. Lewis A. M. Historiæ Tanatis Autor delin. 1736.

OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO,
A. D. MDCCXLV.

Jos: Banks

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI

JOANNI

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI

TOTIUS ANGLIÆ

PRIMATI ET METROPOLITANO

OMNIGENÆ LITERATURÆ

JUDICI ACERRIMO

FAUTORI BENIGNISSIMO:

QUO AUSPICATIUS IN PUBLICUM PRODEANT

ERUDITISSIMÆ PATRUI SUI COMMENTATIONES

ÆDIBUS LAMBETHANIS

ET

ARCHIEPISCOPALI PATROCINIO

ORTUM REFERENTES:

EASDEM

TAM PIETATIS ERGA AUTOREM GRATIA,

QUAM OBSEQUII ERGA PATREM SANCTISSIMUM,

ET

IN PERPETUUM ANIMI GRATI MONUMENTUM,

TOT, TANTARUM VIRTUTUM

CULTOR OBSERVANTISSIMUS

EA QUA PAR EST REVERENTIA

ET STUDIO DEVOTISSIMO

D. D. D.

OLIVERUS BATTELY.

Lectori S.

QUAS tibi jam in manum offerimus, *Antiquitates Rutupinas* noli, erudite Lector, quaſi tenuis aut jejuni argumenti opus temere nimis deponere. Rebus enim per ſe forte ſubobſcuris, aut minus claris, multa doctrinæ, multa ingenii lumina videbis interſperſa: & ſive te delectant *Romanæ* aut *Domeſticæ* vetuſtatis monumenta, ſive literæ humaniores fœliciter illuſtratæ, ſive orationis ſtylus elegans omnino & perpolitus, invenies hic quod morari te poſſit; quodque exiguam moram vel eruditionis fructu, vel ipſa legendi voluptate penſabit. Imo ubi libellum hunc perlegeris, dolebit tibi, quod unicum hoc opuſculum abſolutum reliquerit Autor, uti facile perſpicies, tum in *Græcis Latiniſque* literis, tum in recentioribus Antiquitatis omnimodæ ſcriptoribus verſatiſſimus.

Has vero Exercitationes conſcripſit, loci ipſius, in quo vixit, opportunitatem ſecutus; cum *nummi*, *fibulæ*, *annuli*, *claves*, *urnæ*, aliæque *Romanæ* ſupellectilis reliquiæ in vicinià

 ejus

ejus quotidie eſſent repertæ, & ad illum continuo allatæ: quarum theſaurum ſatis amplum collegit, & Nepoti ſuo, *Joanni Battely* è Collegio *Trinitatis Cantabrigiæ* integrum legavit: [cujus partem quæ in his Antiquitatibus illuſtratur, Propinqui, ad quos tandem devenit, in ejuſdem Collegii Bibliothecâ reponendam duxerunt.]

Harum rerum ſtudio animum ſuum oblectari quidem, ſed non ab opere magis ſerio avocari paſſus eſt *Theologus*, ut erat certè, conſummatiſſimus, & *Concionator* creber, ardens, facundus. Ita nempe hujuſmodi diſquiſitionibus vacavit, ut interim ſancta, quæ in ſe ſuſceperat, officia nulla ex parte negligeret; ut neque Muneri *Archidiaconali*, quod prudentiſſimè adminiſtravit, neque gregi ſuo, cui aſſiduè invigilavit diligentiſſimus *Paſtor*, uſquam deeſſet.

Nemo itaque illius in hiſce *Rutupiarum* Monumentis explicandis nimiam diligentiam merito incuſare poteſt, niſi forte *populares* ejus de *Sti. Edmundi Burgo*; quibus fas erat ſperare, ut oppidi ſui, & celeberrimi in eo Monaſterii, hiſtoriam ab ipſo inchoatam, & ad annum 1272 perductam aliquando per otium ſuum abſolveret. Multa quidem ad hujus Loci Antiquitates illuſtrandas nec labore nec ſumptu exiguo congeſſerat, quæ jam ad ipſius propinquos hæreditario jure devenêre, quæque aſſervantur cum doctis rerumque harum peritis, ſiquis forte eandem aliquando hiſtoriam meditabitur, communicanda.

HACTENUS Antiquitatum *Rutupinarum* primus Editor: fruſtra tamen doctos hortatus eſt, ut Antiquitates *Burienſes* ad finem perducerent, licet anni triginta jam effluxerant, priuſquam inchoata ſit hæc Editio; multi tamen interim flagitârunt, ut, quales Autor ſcriptas reliquit, in lucem prodirent; & dignas exiſtimârunt in his ſtudiis verſatiſſimi, quas in Muſæis exſcriptas reponerent, etiamſi eadem ars, & ſtyli elegantia in his ſe non oſtendat, quâ Antiquitates *Rutupinæ* plerumque illuſtrantur: hoc enim ſiquis requirat, næ ille parum intelligit, quantum interſit inter Diſſertationem, in quâ, quid ipſe ſentiat, autori pro arbitrio explicandum eſt, & temporum priorum Hiſtoriam, ubi vix ſatis veritati datur, niſi teſtium ſingulorum ſententiam ex ipſorum verbis colligere liceat, & ponderare; præſertim ſi altera cum purioris ævi ſcriptoribus rem habeat, altera cum regiſtris, libriſque barbariem illis incognitam redolentibus: veruntamen ut apes vel ex inamœnis floribus mella colligunt, ita qui horrida & jejuna Monachorum regiſtra pervolvunt, modò judicio ſano & acri valeant, multa in lucem producunt, quæ de orbe literato bene meritos poſteris commendant; harum igitur rerum ſtudioſis, quorum laborem imminuit, & deſiderio occurrit, viſus eſt Autor officio ſatisfeciſſe, qui ſummam diligentiam adhibuerit in colligendis, nec minorem religionem in recenſendis oppidi natalis monumentis, quæ ſparſa anteà jacuerunt, & multis ſordibus obvoluta. Nonnullis autem fortaſſe ingratum erit, quod has ſordes non penitus abſterſerit: ſed cum adhuc intacta eſſet hujus Monaſterii Hiſtoria, in cujus ſerie Pontificiorum mores interdum reprehendendi erant, & Sedis *Romanæ* ambitio atque avaritia notanda, etiamſi fides non deſideranda videretur, minor tamen vitiorum cenſuræ autoritas ineſſet, ſi ſuis verbis uſus quaſi novam rebus formam

 tribuiſſet;

ejus quotidie eſſent repertæ, & ad illum continuo allatæ: quarum theſaurum ſatis amplum collegit, & Nepoti ſuo, *Joanni Battely* è Collegio *Trinitatis Cantabrigiæ* integrum legavit: [cujus partem quæ in his Antiquitatibus illuſtratur, Propinqui, ad quos tandem devenit, in ejuſdem Collegii Bibliothecâ reponendam duxerunt.]

Harum rerum ſtudio animum ſuum oblectari quidem, ſed non ab opere magis ſerio avocari paſſus eſt *Theologus*, ut erat certè, conſummatiſſimus, & *Concionator* creber, ardens, facundus. Ita nempe hujuſmodi diſquiſitionibus vacavit, ut interim ſancta, quæ in ſe ſuſceperat, officia nulla ex parte negligeret; ut neque Muneri *Archidiaconali*, quod prudentiſſimè adminiſtravit, neque gregi ſuo, cui aſſiduè invigilavit diligentiſſimus *Paſtor*, uſquam deeſſet.

Nemo itaque illius in hiſce *Rutupiarum* Monumentis explicandis nimiam diligentiam merito incuſare poteſt, niſi forte *populares* ejus de *Sti. Edmundi Burgo*; quibus fas erat ſperare, ut oppidi ſui, & celeberrimi in eo Monaſterii, hiſtoriam ab ipſo inchoatam, & ad annum 1272 perductam aliquando per otium ſuum abſolveret. Multa quidem ad hujus Loci Antiquitates illuſtrandas nec labore nec ſumptu exiguo congeſſerat, quæ jam ad ipſius propinquos hæreditario jure devenêre, quæque aſſervantur cum doctis rerumque harum peritis, ſiquis forte eandem aliquando hiſtoriam meditabitur, communicanda.

HACTENUS Antiquitatum *Rutupinarum* primus Editor: fruſtra tamen doctos hortatus eſt, ut Antiquitates *Burienſes* ad finem perducerent, licet anni triginta jam effluxerant, priuſquam inchoata ſit hæc Editio; multi tamen interim flagitârunt, ut, quales Autor ſcriptas reliquit, in lucem prodirent; & dignas exiſtimârunt in his ſtudiis verſatiſſimi, quas in Muſæis exſcriptas reponerent, etiamſi eadem ars, & ſtyli elegantia in his ſe non oſtendat, quâ Antiquitates *Rutupinæ* plerumque illuſtrantur: hoc enim ſiquis requirat, næ ille parum intelligit, quantum interſit inter Diſſertationem, in quâ, quid ipſe ſentiat, autori pro arbitrio explicandum eſt, & temporum priorum Hiſtoriam, ubi vix ſatis veritati datur, niſi teſtium ſingulorum ſententiam ex ipſorum verbis colligere liceat, & ponderare; præſertim ſi altera cum purioris ævi ſcriptoribus rem habeat, altera cum regiſtris, libriſque barbariem illis incognitam redolentibus: veruntamen ut apes vel ex inamœnis floribus mella colligunt, ita qui horrida & jejuna Monachorum regiſtra pervolvunt, modò judicio ſano & acri valeant, multa in lucem producunt, quæ de orbe literato bene meritos poſteris commendant; harum igitur rerum ſtudioſis, quorum laborem imminuit, & deſiderio occurrit, viſus eſt Autor officio ſatisfeciſſe, qui ſummam diligentiam adhibuerit in colligendis, nec minorem religionem in recenſendis oppidi natalis monumentis, quæ ſparſa anteà jacuerunt, & multis ſordibus obvoluta. Nonnullis autem fortaſſe ingratum erit, quod has ſordes non penitus abſterſerit: ſed cum adhuc intacta eſſet hujus Monaſterii Hiſtoria, in cujus ſerie Pontificiorum mores interdum reprehendendi erant, & Sedis *Romanæ* ambitio atque avaritia notanda, etiamſi fides non deſideranda videretur, minor tamen vitiorum cenſuræ autoritas ineſſet, ſi ſuis verbis uſus quaſi novam rebus formam

 tribuiſſet;

tribuiſſet; authentica igitur teſtimonia, etiamſi longiuſcula, maluit adhibere, quam permittere, ut Adverſarii, ſi quando laceſſerentur, Scriptoris fidem incuſarent; aliter enim facile fuiſſet hæc omnia novâ quaſi veſte ornare, & artifice ſtylo aliquantulùm perpolire; qui licet preſſus ſit & ſubtilis, quo rebus melius congruat, ab agreſti tamen Monachorum aſperitate longiſſimè abhorret, & purâ ſermonis venuſtate oſtendit, quod tenuis hæc & inornata Hiſtoria ex eâdem officinâ prodierit, ac alterum illud majorum vigiliarum opus, ſummis ingenii & artis luminibus illuſtratum.

Quâ demum diligentiâ Editor fidem abſolverit, Lectori judicandùm eſt: hoc illi ſolummodo in votis erat, ut ſimul Autoris famæ & Lectoris commodo conſuleret; & opus, quâ potuit induſtriâ recenſitum, quâ etiam potuit venuſtate perpolitum, in lucem tandem mitteret; quod ſi effecerit, cum multis, qui ipſius laboribus benignè faverunt, gratiæ habendæ ſunt, tum illis præcipuè, qui monumentum, quod eruditiſſimi Autoris memoriæ inſtauravit, quo magis pulchrum eſſet & decorum, Tabulis novis illuſtrare dignati ſunt; & hos inter *Jacobo Burrough* A. M. Collegii *Caio-Gonvillenſis Cantabrigiæ* Socio, in hujus Monaſterii Antiquitatibus verſatiſſimo, qui Ædificiorum partes, quas temporum injuriæ aliquatenus inveſtigandas reliquerant, à ſe jam olim accuratè delineatas, inter alia adjumenta, cum Editore communicavit, quò melius de eorum magnificentiâ poſteris conjicere liceret.

INDEX RERUM.

Numerus paragraphum denotat.

Occaſio Dialogi, & aditus ad eum, qui inibi habetur, de Antiquitatibus Rutupinis ſermonem 1, 2, 3.
Tanatis inſula. Caſtrum Rutupinum, Regulbinum. Rutupiæ geminæ, quarum alteræ Regulbium dictæ 4.
Portûs Rutupini ſitus. Fluvius Wantſumu 5.
Portus Sandwicenſis. Northmuthæ ſitus. Peperneſſa 6, 7.
Lapis tituli, ſive Stone-end. Eſtanora 8.
Tumulus SS. Criſpini & Criſpiniani 9.
Rutupiarum urbis ſitus 10.
Rutupini caſtri ſitus, figura, magnitudo 11, 12.
Rutupiarum celebritas 13, 14.
Portus Trutulenſis 15.
Inſcriptio Amerbachiana. Triputium 16.
Cantii ſitus, promontorium. Itium navale 17, 18, 19.
Tanatis inſulæ nomen, celebritas, laudes. Toliapis. Shepia 20, 21, 22, 23, 24.
Rutupini nominis origo 25, 26.
Regulbii antiquitas, ſitus. Vetaſii. Fluvius Genlade 27, 28, 29.
Lateres Romani. Ciſternæ Regulbinæ 30, 31, 32.
Regulbini nominis origo 33, 34.
Origines Rutupinæ 35, 36.
Diſceptatio de loco ubi Cæſar ad Britanniam appulerit 37, 38.
Tamiſis fluvii oſtium 39.
Geſſoriacum 40, 41.
Civitates Britannicæ 42, 43.
Numiſmata Romana Regulbii reperta 44, 45, 46.
Regulbii incendium. Pecunia Rutupiis percuſſa 47.
Coloniæ Romanæ in Britannia. Domitiani nummus. Calcaria. Londinum 48, 49.

Nummi

INDEX RERUM.

Nummi Regulbini 50, 51.
Severi, Carausii, Diocletiani, Maximiani numismata 52, 53, 54.
Aureus Magnentii solidus cum affixo tubulo aureo 55.
Fibulæ, annuli, urnæ, aliæque Romanæ supellectilis reliquiæ Regulbii inventæ 56, 57, 58, 59.
Heracletis Cycnarium ad Imperatorem 60.
Olla vinaria. Durolevum. Newentona 61.
Laberii tumulus. Cilla-ham. Cilla-byrig 62.
Tubus fictilis parietibus imprimi solitus 63.
Abacus variâ ex ære supellectile ornatus. Imagunculæ, armilla aurea Sapphiris distincta 64.
Strigil Regulbii inventa. Strigilis usus duplex 65, 66.
Ligularum genera & usus 67, 68.
Cochleare. Stylus graphiarius 69.
Cultrorum plicatilium manubria 70.
Acus. Bullæ. Fibula paupertina. Harpocratis imago 71.
Lorica hamata, sive annulata. Lunula ænea 72.
Authoris de optimâ antiquitatum investigandarum ratione sententia 73, 74, 75.



Antiquitates Rutupinæ.

SEDENTI mihi in Muſêo, quod ſupellectili cum libraria tum antiquaria mediocriter inſtructum habeo, nummoſque *Romanos* in [1] *Regulbino* agro repertos, & ad me allatos tractanti, ſupervenêre *Mauritius* & *Whartonus*, viri non minus ob ſuaviſſimos mores diligendi, quam ob multi-

---

1 *Reculver.*

plicem Eruditionem ſuſpiciendi, utrique ſcriptis editis clari, & mecum in famulatu Reverendiſſimi, doctiſſimi, optimique Præſulis *Wilhelmi Sancroft Archiepiſcopi Cantuarienſis* diu atque amiciſſime degentes; quumque me iſtiuſmodi ſtudiis intentum deprehendiſſent; ſtatim *Whartonus*, ut erat fervidioris ingenii, quin tu, inquit, mî *Joannes*, quouſque perges bonas horas male collocare, & menſæ iſti nummariæ ὡς τραπεζίτης aſſidere? quid enim in illo numiſmatum cumulo, quem tantopere verſas, aut diligentia tua, aut expectatione noſtra dignum invenis? an tibi *Regulbium Othones*, *Peſcennios Nigros*, *Gordianos Afros* ſuppeditat? Numquid ibi ſingulare atque præclarum occurrit, quod *Occonis*, *Mediobarbi*que *Biragi* ſolertiam, quod *Antonii Auguſtini*, & *Ezechielis Spanhemii* acumen fugit? Taceo *Angelonos*, *Bellorios*, *Triſtanos*, *Patinos*, *Harduinos*, *Vaillantios*, *Morellos*, alioſque, quibus omnes, quotquot ſunt, Theſauros nummarios perluſtratos atque excuſſos eſſe novimus. Quid, inquam, novi poſt tot tantoſque viros è penu tua depromes? Num ignorata pridem Populorum, Coloniarum, Urbium, Regum, Deorum nomina? Num laborantis Chronologiæ ſubſidia? Num denique Criticorum delicias, va-

rias

rias ſcilicet ejuſdem vocabuli ſive veras ſive falſas deſcriptiones? Enimvero ſi nihil horum proferre potes, operam perdis; atque ſatius eſſet æruginoſum iſtum acervum denuo defodere, qui neque aliis rebus lucem afferre, nec ipſe, quamvis diu à te tractatus, niteſcere poteſt.

2. Hæc, declamatorio more, à Viro acerrimi ingenii in me raptim effuſa, præſertim quum ad illius increpationem temporis male locati conſcientia accederet, valde me movebant: poſtquam vero recordatio cum familiaritatis, tum amicitiæ, quæ longo tempore inter nos interceſſerat, animum meum paululum confirmâſſet, placide ſic rogabam; egone te, dies noctesque codices MSS. *Lambethanos*, *Cottonianos*, *Arundelianos*, alioſque, quotquot undique nanciſci poteras, verſantem, ab incœpto curſu iſtiuſmodi clamoribus revocabam; quibus tu me, antiquorum nummorum contemplatione animum meum recreantem, nunc perterres? Tune has voces à me audiviſti unquam, quid facis, mî *Whartone*? quid in codicibus iſtis te repertu-rum ſperas? Annon *Lelandi*, *Balei*, *Parkeri*, *Camdeni*, *Savilii*, *Seldeni*, *Spelmanni*, *Uſſerii*, *Twiſdeni*, *Dugdali*, *Galei* diligentia omnem tibi laudis materiem ex iſtiuſmodi labore præreptam

ptam eſſe cernis? Imo contra *Mauritius* & ego, quum videremus qua te raperet genius, nos currentem incitare, & veterum codicum non indecoro pulvere ſordidum laudare, &, ut alacrius pergeres, tibi nos comites adjungere, eidem operæ manus admovere; magnis te exemplis hoc facere, rem doctis gratiſſimam atque utiliſſimam aggredi, ad immortalem nominis gloriam hac recte niti, ſæpiſſime dicere. Ita ego de ſtudiis tuis & tunc ſentiebam, & nunc ſentio, & ſentiam ſemper: quin tu viciſſim eum, quem in te fovi & laudavi, rei antiquariæ amorem mihi permitte. Illud tantum inter nos intereſt, quod tu ingentia volumina ames verſare; ego autem laboris impatiens, ita enim à natura comparatus ſum, numiſmata Romana lubenter tracto; iis quaſi libris utor; eorum brevitate mirifice delector; quippe quæ compendiariam rei Romanæ hiſtoriam exhibeant, typis æreis, argenteis, aureis, diu ante inventionem artis Typographicæ, excuſam, codicibuſque tuis MSS. ut antiquiorem, ita quoque longe perenniorem.

3. Suaviter hic, pro more ſuo, ſubridens *Mauritius*, video, inquit, *Whartoni* mentem à te non recte eſſe intellectam. Is enim ſtudia

tua

tua damnare non vult, ſed accendere; eorum fructus ut matures, & in medium proferas, monet, ſuadet, urget: quin & ego in illius partes jam tranſeo, idemque obnixe poſtulo. Tum ego, non iniqua, inquam, poſtulatio veſtra videri poſſet, niſi ab iis Viris profecta eſſet, qui ingenium meum animumque à publica luce ſemper abhorrentem probe nôſtis. Interea, neque belle neque amice facitis, qui ſtudiorum meorum rationem efflagitatis, quam incolumi pudore vix poſſum reddere. Tum *Mauritius*, novi, inquit, quid velis. Quandoquidem igitur de ſtudiis tuis interrogari non vis, nos de otio tuo, quod infructuoſum eſſe non putamus, interrogabimus; etenim illud ſolebas dicere, te ſubciſivam operam in re Antiquaria inveſtiganda, atque illuſtranda collocare. Hæc quum audirem, nec ullam viam mihi relictam eſſe cernerem, qua importunam amiciſſimorum virorum curioſitatem effugerem, morem, inquam, geram, & quoniam otioſis eſſe placet, commentationes aliquot de [1] *Regulbio Rutupiiſ*que, antiquis *Cantii* locis, eo ordine quo animum meum ſubière, vobis exponam.

---

1 *Reculver & Richburrough.*

4. Quum

4. Quum *nummi*, *annuli*, *fibulæ*, *claves*, *urnæ*, aliæque *Romanæ* ſupellectilis reliquiæ, *Regulbii* & in vicinis *Rutupiis* frequentiſſime repertæ, indidem ad me allatæ eſſent, continuo ingens animum meum deſiderium invaſit illorum locorum origines accurate inveſtigandi, quas antiquiſſimas fuiſſe, tot eruta monumenta, tam præclara caſtrorum *Romanorum* veſtigia adhuc comparentia, facile perſuadebant. Diſquiſitionem itaque meam à præſenti horum locorum conſpectu exorſus ſum, quorum ſitus atque opportunitates diligenter contemplatus, ea tibi, *Mauriti*, aperte indicabo, ſunt enim *Whartono*, eorum accolæ, notiſſima. *Tanatis* inſula *Cantiano* litori objecta portum facit, qualem deſcribit [1] *Virgilius*:

——— *inſula portum*
Efficit objectu laterum. ———


Tanatim autem noſtram, eumque, quem, facit, portum, ut illud ὁ παρόδω dicam, reſpexiſſe videtur [2] *Venantius Fortunatus* in illo carmine, quo de D.*Pauli* appulſu in *Britanniam* ita canit,

Tranſiit Oceanum, vel qua facit Inſula portum.

---

1 Æneid. 1. 2 In vita S. *Martini*. III.

Apo-



Lineæ à Tabulæ latere Occidentali & Australi Septentrionem & Orientem versus ductæ Fluviorum è Continente in hunc Portum delatorum cursum hodiernum designant. Viz.

a. Fl. Genlade *sive* Elande. *b.* Stura *major mercibus* Canturiam *usque vehendis olim idonea, nunc autem non ultra* Fordwicum *navigatus.*

c. Stura *minor, cujus & et majoris alveum, qui regionis jam diligenter explorârunt, maris æstu olim allui credunt, & hinc villas* de Fordwich & Beakesbourn, *quarum altera in majoris, altera in minoris ripâ sita est; Portuum maritimorum fructu* The Cinque Ports *dictorum, pauperis subjectas esse.*

Alveo autem, qui hoc in Oceanum Britannicum *defert,* Vantsumi *nomen est.*

Mari tandem decrescente Sandwicum *in Australi* Watsumi *latere ad. extructum est, urbe navicula in Insulam trajectus.*

Punctorum series f. g. littoris Orientalis limites exteriores designat. Promontorio d f. Peperneſsa nomen est.

Apoſtolum gentium huc tranſiiſſe, neminem dubitare ſinit *R. R. Præſulum* [1] *Uſſerii atque* [2] *Stillingfleeti* in ea re confirmanda erudita ac felix diligentia; quo autem trajectu uteretur, niſi eo, qui tunc temporis uſitatiſſimus erat in hunc ipſum portum, de quo loquimur? Is portus, uti ad id unde digreſſi ſumus revertamur, oſtia habet duo; quorum unum Septentrionem, alterum Orientem ſpectat. Huic *Rutupinum*, illi *Regulbinum* caſtrum imponitur; quibus, præſidio munitis, portus olim utrinque claudebatur. Ex iiſdem, quaſi ex ſpeculis, invaſorum prædonumque naves & longiſſime proſpici, & aditu prohiberi, claſſeſque *Romanæ* tuto ſubduci ſolebant. Mutuam illam quam in eodem portu tutando operam caſtra præſtabant, cæteraſque loci opportunitates, quum in uno conſpectu præſens viderem, cœpi mecum ſic cogitare: ſcilicet cognationem quandam fuiſſe olim *Regulbio* cum *Rutupiis*, ſeu potius *Rutupias* geminas fuiſſe, earumque alteram inclinato ac prope jacente in hac Inſula Imperio *Romano*, *Regulbium* vocatam. Sed de utroque nomine alio loco accuratius differemus. Interim ad rem

---

1 *Britan.* Eccleſ. Antiq. p. 4. 2 Orig. *Britan.* p. 37. &c.

redeo

redeo. Vallem latam, ſive planitiem inter hæc caſtra exporrectam jacere vidi, in qua ego portum *Rutupinum* collocandum eſſe exiſtimo[1]. Ego te, *Whartone*, horum locorum peritiſſimum, veritatis rei narratæ teſtem, utroſque vero & te & *Mauritium* conjecturarum noſtrarum judices conſtituo.

5. Tum *Whartonus*: Inſulæ atque Caſtrorum ſitus & commoditates recte deſcribis, neque illud quod de geminis *Rutupiis* conjectas, improbo: ea vero quæ de portu *Rutupino* inter hæc Caſtra collocando dicis, nova prorſus atque inaudita ſunt, an probabilia & veriſimilia ſint, id à te quærimus. Præſens certe loci ſtatus me in ſententiam tuam ire non ſinit. Quis enim in latiſſima illa planitie, quæ *Regulbium Rutupiaſ*que interjacet, ubi nunc prata virent, ubi rivulus[2] exilis, breviſſimo alveo contentus vix fluit, portum *Rutupinum*, totius *Britanniæ* celeberrimum, fuiſſe credat? Tu ipſe, inquam, id faceres, modo antiquam hujuſce loci faciem, qualem eam depingunt veteres Scriptores, in memoriam revocare, mentiſque oculis contemplari velles. Ea, quam nunc vides, ficcitas, ſive aquarum penuria, olim non erat. Etenim[3] *Soli-*

1 Tab. I. 2 Tab. V. 3 Cap. XXIV.

nus,

nus, qui primus ſcriptorum Romanorum Inſulæ *Tanatis* meminit, ait "eam allui freto *Gal-*
"*licano*, à *Britanniæ* continente æſtuario tenui
"ſeparatam." Illud autem æſtuarium, quod *Solinus* tenue vocat, [1] *Beda* ſtadia circiter tria latum fuiſſe tradit. Ita enim ſcriptor venerabilis: "Eſt ad Orientalem *Cantii* plagam *Ta-*
"*netos*, inſula non modica, id eſt, magnitudi-
"nis, juxta conſuetudinem æſtimationis Anglo-
"rum, familiarum ſexcentarum, quam à con-
"tinente terra ſecernit fluvius *Wantſumu*, qui
"eſt latitudinis circiter trium ſtadiorum, &
"duobus tantum in locis eſt tranſmeabilis, u-
"trumque enim caput protendit in mare." Hic notandum, *Solini* æſtuarium atque *Bedæ* fluvium, idem eſſe; illud autem perpetuo decremento ante *Bedæ* tempora indies anguſtatum fuiſſe; quod *Saxonicum* fluvii nomen aperte indicat; etenim in ea lingua *Wantſumu* idem eſt quod in Latina "valde decreſcens;" denique duobus tantum locis fluvium hunc tranſmeabilem fuiſſe, non pedibus, ſed navigiorum ope. Utriuſque trajectus nomen conſervavit nobis [2] *Eadberti* Regis charta, *Bedæ*que narra-

1 Hiſt. Eccleſ. 1. 25. 2 Annales Monaſterii D. *Auguſtini* MSS. in Bibliotheca Aulæ *Trin. Cantabrigiæ*.

tionem egregie illuſtrat atque confirmat. Verba magnifici Regis perpendite. "Do, inquit, "duarum navium tranſvectionis cenſum in lo- "co cujus vocabulum eſt ad [1] *Serræ*, ſicut à Re- "gibus *Merciorum Ethelbaldo* & *Offa* longe an- "te conceſſum eſt tributum in loco cujus voca- "bulum eſt [2] *Lundenwic*." En duos, quos memorat *Beda*, tranſitus in Inſulam; quorum quidem ille ad *Serram* ponticulo ligneo nunc conjungitur, alter vero ad *Lundenwic* ſive *Sandwicum*, non niſi navicula hodie trajicitur.

6. Hic me plura dicere pergentem morabatur *Whartonus*, inquiens ſe de æſtuario, quod *Tanatim Britanniam*que interjectum eſt, non amplius dubitare; de illius latitudine non quærere: ſed an portus ibi eſſet, qui navibus ſubducendis ſufficeret. Tunc ego, quid, inquam, ſi oſtendero, æſtuarium hoc multam diminutionem paſſum, tamen poſt *Solinum* plus mille annis maximarum claſſium excipiendarum capax fuiſſe? quod quidem facturus ſum, modo illud in præſentia pro conceſſo habeatis, quod poſtea luculenter probaturus ſum, nempe portum *Sandwicenſem* eodem loco fuiſſe, quem ego *Rutupi-*

1 *Sarr* in inſula *Tanati*. 2 *Sandwic*. *Somner* de port & Caſtris *Cantii* p. 9. &c.

num

num olim occupaviſſe contendo, eaque quæ apud Hiſtoricos noſtros de *Sandwicenſi* portu occurrunt, ad *Regulbinum* pertinere. Quum poſtulatum noſtrum uterque eorum æquum eſſe cenſeret, meque procedere juberet, prolatis Annalibus noſtris hæc legebam: "[1] *Anglorum* claſ- "ſem, qualem nullam in alicujus Regis tempo- "re fuiſſe hiſtoriæ memorant, ad *Sandwicum* "devectam, ibi conſtitiſſe." "[2] *Turkillum* ſua "cum claſſe ad *Angliam* veniſſe, aliamque *Da-* "*norum* claſſem innumeram, ei conjunctam, "portum *Sandwicum* adiiſſe." "[3] *Haroldi* claſſem "*Cantii* Orientale litus populatam, *Sandwico* "progreſſam ad *Northmutham*, indeque *Lon-* "*doniam* verſus." Tum *Mauritius*, quandoquidem, inquit, in *Northmuthæ* mentionem forte incidimus, per quam Haroldi claſſis, *Sandwico* ſolvens, *Londinum* tendebat, ita enim rem clarius narrant [4] *Henricus Huntingdonenſis* & [5] autor Chronici *Joanni Bromton* aſcripti; niſi id tibi moleſtum ſit, dicas obſecro ubi illam quæremus: video enim doctiſſimos viros [6] *Somne-*

---

1 Chronic. *Saxon.* ad A. D. MIX. 2 Florent. *Vigorn.* ad A. D. MIX.
3 Chron. *Saxon.* ad A. D. MLII. 4 Lond. 1596. Fol. 209. b. 5 Pag. 943.
6 Dictionar. *Saxon.* voce *Northmuth.*

rum atque [1] *Gibſonum*, eam in [2] *Medwægi* oſtio fuiſſe, conjectare; perperam vero, ut opinor; quis enim neſcit iter maritimum ad *Londinum*, non per *Medwægi* ſed per *Tamiſis* oſtium eſſe dirigendum? Opportune, inquam, atque recte hoc à te, *Mauriti*, notatum eſt; neque ſatis mirari poſſum quempiam in his ſtudiis lociſque verſatum ignorare ubi *Northmutha* ſit. Annon enim in [3] *Lambardi* tabula geographica id nomen *Wantſumi*, ſive *Sturæ*, oſtio Septentrionali aſcriptum eſt? Annon [4] *Harriſonus* in accuratiſſima *Britanniæ* deſcriptione idem notat, *Northmuthamque* à *Sandwico* VII. millia paſſuum diſtare? Annon limites agrorum Monaſterio *Regulbino* ab *Eadredo* Rege aſſignatorum, quos [5] *Saxonice* editos habemus, eam in territorio *Regulbino* ponunt? His teſtibus ſatis abundanter demonſtratum eſſe ſpero *Haroldi* claſſem, inter Inſulam *Tanatim Britanniæque* continentem tenuiſſe curſum, & *Sandwico* per *Wantſumi* fluvii oſtium Septentrionale, ſive *Northmutham*, verſus *Londinum* vela feciſſe. En fluminis magnitudinem! en certiſſimum ar-

---

1 Explan. nominum locorum in fine Chron. *Saxonici*. 2 *Medway*. 3 In fine Itinerarii *Cantii*. 4 Pag. 30. 5 In *Dugdali* Monaſtico Vol. 1. p. 87.

gumentum,

Tad.11. *pag.13*

Mappa Thaneti Insule

OCEANVS BRITAN NICVS

Reverendo admodum
in Christo Patri
Carolo.
Waterfordensi & Lismorensi
Episcopo,
Hanc tabulam D.D.D.
Ol: Battely.

Mergate
Sci Johañis
Sci Petri
Sci Laurentij
Stodare
Wodechirche
West gate
Castus Cervi
Tene
Berchingtone
Puteus Thunor
Mosteriū Aptora
Pet. & Pauli.
Menstre.
Eccl'ia Sce Marie
Oum Scor
Sci Nicholai
Sci Egidij
Marketon
Kerre
Reculvere

gumentum, planitiem, in qua decurrit, olim navigatam fuiſſe! Taceo poſt hæc [1] *Simeonis Dunelmenſis* deſcriptionem Inſulæ, quam maris flumine undique circundatam narrat, eaque ſpecie, quam nobis exhibet antiqua Tabula in [2] Monaſtico typis expreſſa. Taceo Monachos D. *Auguſtini Cantuariæ*, qui A. D. MCCCXIII. [3] wreccum maris in Maneriis ſuis de *Menſtre*, *Chiſtelet* & *Stodmerſch*, id eſt, in ipſa, de qua loquimur, planitie ſibi vindicabant. Hanc diſputationem claudet [4] *Joannis Twini* civis noſtri narratio, qui quum patrum fere noſtrorum memoria vixerit, ait ſuo tempore ſuperfuiſſe "octo viros fide dignos, qui non modo cymbas "minutiores, verum etiam grandiores navicu-"las, onerariaſque meaſſe ac remeaſſe inter In-"ſulam ac continentem frequenti navigatione vi-"diſſe ſe, dicerent." Neque illud prætereundum, quod paulo poſt affirmet, [5] "ad *Sarram*, medio "fere inter *Rutupias Regulbiumque* itinere, ſta-"tionem navalem fuiſſe;" quod, an in antiquorum ſcriptis legerit, an ex vulgi rumore didicerit, an denique ex anchoris ibidem effoſſis conjectando dixerit, prorſus neſcio.

---

1 Ad A. D. 864. 2 Vol. 1. p. 84. 3 *Thorn.* p. 2015. 4 De rebus *Albionicis* p. 25. 5 Pag. 27.

7. Re-

7. Reſtat, ut id quod modo pollicitus ſum abſolvam, nempe ut oſtendam portum veterem *Sandwicenſem* iiſdem terminis circumſcriptum fuiſſe, quos ego *Rutupino* portui tribuebam, id eſt, ea planitie, quæ oſtium Septentrionale atque Orientale *Wantſumi* fluvii interjacet: ad illud autem demonſtrandum non alio argumento opus eſt, quam Monachorum [1] noſtrorum Commentariis; ii enim [2] chartam nobis exhibent, in qua *Sandwicenſis* portus limites figuntur hinc *Peperneſſa*, inde *Mearesfleote*: eſt autem *Peperneſſa* promontorium in Orientali fluminis oſtio; *Mearesfleote* in Septentrionali; quos ponunt limites territorii *Regulbini* à me ſupra laudati. Neque aliud innuit id quod in iiſdem [3] Commentariis legimus: "Eorum [ſcilicet Monachorum] eſt "transfretatio portus, & navicula, & telonium "naviculæ, & omnium navium, quæ ad *Sand-*"*wic* venerunt à *Peperneſſa* uſque ad *North-*"*mutham*:" id eſt omnium navium, quæ, ad *Sandwicum* venientes, in eo fluvio ſtabant; ubicunque enim inter dictos terminos ſubducebantur, in portu *Sandwicenſi* erant, eoque nomine Monachorum portitoribus portoria ſolve-

1 Cantuarienſium. 2 Charta *Canuti* R. de *Sandwic.* 3 Evidentiæ Eccleſiæ *Cant.* inter X. Scriptores, p. 2225, 2226.

bant

bant. [1] *Giraldus Cambrenſis* in opere eximio de jure & ſtatu *Meneveníis Eccleſiæ*, quod induſtriæ atque diligentiæ tuæ, mi *Whartone*, debemus, exterioris portus *Sandwicenſis* mentionem facit, quod cum conjectura mea ſatis convenit; erat quippe portus exterior, illa fluvii pars, quæ *Sandwicum* inter atque mare jacebat; interior vero, ea quæ à *Sandwico Regulbium* uſque pertinebat; quæ partes conjunctæ portum *Rutupinum* faciebant. Tecum lubenter ſentirem, inquit *Whartonus*, niſi me eruditorum virorum, *Somneri* præſertim & *Flotti*, contra ſentientium moveret autoritas; quorum [2] hic portum *Rutupinum Sandwici*, [3] ille *Eſtanoræ* fuiſſe contendit. Reſpondebam, eos, qui ſic diſputant, incerta pro certis ſumere; neminem ea oppida tam humili, tamque depreſſo loco ſita, tunc temporis quum florebat portus *Rutupinus*, extitiſſe conceſſurum; eos exiliter & anguſte nimis & ſentire & loqui, qui portum celeberrimum, ampliſſimum, capaciſſimum, horum locorum proxima vicinitate circumſcribunt; nugas agere, qui in utra fluvii ripa collocandus ſit quærunt: Opinionem noſtram, quæ

---

1 *Angliæ* Sacræ vol. II. p. 571. 2 De *Romanis Cantii* portubus & caſtris p. 9. &c. 3 In Additamentis ad *Camdeni Cantium*.

ei

ei totum flumen qua longum qua latum attribuit, & probabilem magis, & magis honorificam eſſe: alteram denique ſola conjectandi licentia, nulla argumentandi firmitudine niti; noſtram vero tum autoritatis, tum rationum pondere ſtabiliri.

8. Jam ſatis eſt, inquit *Mauritius*, amplius non dubito de portus *Rutupini* ſitu, ſpondeoque pro *Whartono* eum in eadem ſententia futurum; cogitat, dubitat, hæſitat pauliſper, non aliam ob rem quam ne temere opinionem ſuam mutaſſe videatur. Interim nec longa nec inutilis à re noſtra digreſſio erit, ſi illud à te quæram, ubi fuerit inſignis ille *Lapis tituli*, propter quem *Saxonas* à *Vortimero* cæſos fugatoſque refert [1] *Nennius*; namque prope loca de quibus jam ſupra diſſeruimus, fuiſſe ſuſpicor; neque quæſtionem illam à propoſito noſtro longius abeſſe puto: quamvis enim non ad rem *Romanam*, ſed *Saxonicam*, pertinere videatur, quum tamen Regni *Saxonici* initia cum *Romani* Imperii in *Britannia* fine conjunctiſſima fere ſunt, quumque loci nomen, de quo agimus, prorſus *Latinum* ſit, tu quid de eo ſentias nobis imperti; audio

1 Hiſt. *Britan.* cap. XLVI.

enim

enim aliorum de ea re ſententias tibi minime probari. In quantum, inquam, mihi jus faſque eſt à doctiſſimis viris diſſentire, argumentis non levibus inductus, id facio. [1] *Camdenus* [2] *Uſſeriuſque Lapidem tituli* apud *Stonar* collocant, decepti nominis origine, quam à *lapide* derivari putabant. Illum autem errorem, tantorum virorum autoritate diu ſubnixum, atque indies invaleſcentem, depulit tandem [3] *Somneri* perſpicax diligentia, veram iſtius vocis notationem atque ſcriptionem ex antiquis monumentis eruendo, & docendo eam non *Stonar* ſed *Eſtanore* legendam; *Eſtanore* autem, [4] oram, litus, oſtium ſive portum Orientalem ſignificare: omnis vero hæc deſcriptio *Eſtanoræ* imprimis convenit. Sinite me unico teſtimonio emendationem *Somnerianam* confirmare. [5] Autor *Encomii Emmæ* ait, "*Thurkillum Danum*, in portum "*Sandwicenſem* appulſum, in loco *Scoraſtan* "dicto contra *Anglos* aciem inſtruxiſſe:" quid vero aliud eſt *Scoraſtan* quam per tranſpoſitionem *Eaſtanſcore*? *Eaſtanſcore* autem &

---

1 In *Cantio*. 2 Antiq. Eccleſ. *Britan.* p. 223. 3 De portubus & caſtris *Rom.* in *Cantio*, p. 94 & 98. 4 Sic *Cerdicſore* ſive portus *Cerdici* apud *Matth. Weſtm.* ad A. D. 494. & alibi paſſim apud Hiſtoricos noſtros. 5 Inter Scriptores Hiſtoriæ *Normannicæ. Lutetiæ* 1619. p. 168.

Eſtanore idem eſſe norunt *Saxonicæ* linguæ periti. Hæc, ſi quid ego video, argumentum à nomine *Stonar* ductum, quod cum *Lapide tituli* nihil habet commune, penitus elidunt. Illud præterea à *Somnero* obſervatum eſt, prælium hoc non in Inſula *Tanati*, ubi *Stonar* eſt, commiſſum fuiſſe; quippe quod [1] "*Saxones* fuſi, "ad naves fugiſſe, atque Inſulam pro refugio ad- "iiſſe" dicuntur: non igitur *Stonaræ* ſive *Eſtanoræ* erat *Lapis tituli.* Sed ne nuſquam eſſet, illum *Folcſtanæ* adjudicat idem [2] vir doctiſſimus: quod quoque poſt eum fecere [3] *Stillingfleetus* & [4] *Galeus*, *Nennii Lapide tituli* in ſuum *Lapidem populi* converſo. Agnoſco equidem ſummam *Folcſtanæ* antiquitatem. Agnoſco hanc vocis mutationem eorum ſententiæ favere; verum in ipſa mutatione hæreo, quam, nulla antiquorum ſcriptorum, nulla vetuſtorum codicum autoritate ſubnixi, magis audacter quam recte faciunt; quæque tam dura, tam inſolens appareret, ut vel credulitatem ipſam prorſus ſuperet. Eandem ob cauſam [5] *Langhornum* quoque noſtrum prætereo, qui ſolus incedens *Lapidem*

---

1 *Galfred. Monemuth.* VI. 13. 2 De portibus & caſtris *Rom. Cantii* p 97. 3 Antiq. Eccleſ. *Britan.* p. 322. 4 In notis ad *Nennii* Hiſt. cap. XLVI. 5 In Chronic. regum *Angliæ* p. 24.

tituli

tituli nunc *Langerſtonæ* in *Icenis* meis, nunc inter *Stonam* & *Fletam* prope *Graveſendam*, ponit. Quid interim ego de hac re ſentiam, paucis dicam. Erat olim in Auſtrali *Cantii* angulo *Lapis Finalis* ſive terminalis, qui vocabatur [1] *Lapis appoſitus in ultimo terræ*, nunc autem *Stone-end*. *Lapides* vero *finales*, ſi inſcriptum quid haberent, [2] agrimenſores *Titulos* appellabant. Unde [3] *Venantius Fortunatus*, "*Ti-*
"*tulum* hunc, ait, horum jugerum limitem eſſe
"noveritis & confinium." Juriſconſulti [4] "*Titulos*
"in prædiis aiunt eſſe tabulas in quibus Domino-
"rum nomina inſcripta erant, ut ex iis, cujus
"prædia eſſent, cognoſceretur." Quorum lingua uſus [5] *Chryſologus*, "Dominum, inquit, præ-
"diorum limitibus affixi *tituli* proloquuntur:" erant igitur *Lapides tituli*, quotquot in limitibus poſiti titulum ſive inſculptum ſive affixum habebant. En igitur, in eo quem indico loco, *Lapidem tituli*, ſuper ripam *Gallici* maris poſitum, ubi *Nennius* pugnatum fuiſſe ſcribit: ſcilicet, "in campo juxta *Lapidem tituli*, qui eſt

---

1 Vide *Offæ* R. chartam à *Somnero* editam in libro de portubus & caſtris in *Cantio* p. 50. &c. 2 Vide rei agrariæ ſcriptores p. 47. &c. 3 In vita *Medardi* cap. 5. 4 Vide *Calvini Lexicon* Juridicum in voce Titulus. 5 *Homil.* CLIV.

"ſuper ripam *Gallici* maris." Hoc igitur loco & *Vortimerum* victorem fuiſſe, & *Lapidem tituli* figendum eſſe cenſeo.

9 Quum *Whartonus* ægre ferret præclarum hoc monumentum Inſula ſua moveri, inque extremum *Cantii* angulum transferri, ita me adortus eſt: ſiquidem, inquit, ita argumentaris, quidni *Rutupias* ipſas *Lapide tituli* cohoneſtares? Etenim non ſemel mihi indicaſti ibi lapidem fuiſſe impreſſum in memoriam B. *Auguſtini*, qui eo loco è navi exſcendebat. Memini, inquam, me tale quid in neſcio cujus [1] Monachi verſificantis carmine olim legiſſe; ſed quum, habita rerum geſtarum temporumque ratione, *Vortimeri* prælium B. *Auguſtini* adventum centum circiter & triginta annos præceſſiſſe animadverterem, ultra de eo lapide non diſquirendum eſſe cenſebam. Tu vero, inquit *Mauritius*, quid ſentis de [2] *Camdeni* narratione, ſcilicet inter ſcrupos prope *Stone-end*, ubi *Lapidem tituli* poſuimus, cumulum majorum lapidum conſpici, quem vicini tumulum SS. *Criſpini* & *Criſpiniani* eſſe volunt? Hæc, inquam, opinio unde in vulgus emanarit, eorumque ani-

1 In Annal. D. Aug. MSS. in Bibliotheca Aulæ *Trin. Cantabr.* 2 In *Cantio.*

mis

mis inſederit, neſcio; quum *Sueſſionas* horum martyrum ſepulchrum ſibi vindicare notum ſit: niſi hoc loco olim extiterit *Romanum* aliquod monumentum, ſive lapis ſive cippus, his nominibus inſcriptum, quæ *Saxonicorum* temporum indocta ſimplicitas viris ſanctis martyribuſque forte aſcribebat: neque mirum ſi id tunc factum eſt, quandoquidem inſana Eccleſiæ *Romanæ* ſuperſtitio idem nunc quoque ſæpe facit. *Criſpini* vero non deerant, quorum nomen in *Britannia* celeberrimum eſſe potuit: erat quippe [1] *Aimilius Criſpinus* ſub *Gordianis* Præfectus *Alæ Auguſtæ* in *Britanniis*; erant etiam [2] equites *Criſpiani*; erat denique ſub *Domitiano Criſpinus* multo carmine à [3] *Statio* laudatus: is autem patrem habuit *Vectium Bolanum* [4] *Britanniæ* ſub *Vitellio* Præfectum, quem [5] poeta ſpeculas ibi caſtellaque condidiſſe, & titulos ibidem inſcriptos reliquiſſe dicit; quæ fere omnia *Cantii* Auſtrali atque Orientali litori conveniunt, neque mirandum erit, ſi in titulo aliquo filii ſui nomen extare voluit.

10 Hæc vix finieram, quum me *Mauritius*

---

1 Inſcriptio apud *Camdenum* in *Brigantibus*. 2 Notit. Imperii cap. LXXXIX. 3 *Pap. Statius Sylv.* v. 2, 4 *C. Tacit.* Hiſt. II. & in vita *Agricolæ*. 5 *Statius* ibid.

Ru-

Rutupias, unde longe digreſſi eramus, revocat; & quoniam, inquit, portum hunc feliciter tenemus, vela contrahamus, & è nave egreſſi urbem caſtrumque inviſamus, exploremus. Ita, inquam, facto opus eſt; quippe ſcio vos non ſine nauſea navigaſſe, quod incommodum utinam ne vobis in terra quoque accidat; quia autem periclitari vultis, lubens progredior. Tria ſunt *Rutupiis*; portus, de quo ſatis ſuperque dictum eſt: urbs, caſtrumque, de quibus quædam ſigillatim dicenda reſtant. Hæc quum Scriptores noſtri confundunt atque commiſcent, multa de iis & imperite quærere, & inutiliter diſputare ſolent; *Rutupiæ* ipſæ, ſive urbs ubi fuerit non conſentire, his eas [1] *Dubris*, his [2] *Sandwici*, his [3] *Duroverni* ſive *Cantuariæ*, his [4] *Durobrivis* ſive *Roffæ* fuiſſe, affirmantibus. Qui *Cantuariam Roffam*que ſomniant, cætera quidem doctiſſimi, exteri tamen rerumque noſtrarum imperiti erant, neque illos refutare operæ pretium erit. Qui pro *Dubri* vel *Sandwico* contendunt, ii noſtrates ſunt, eorumque opinioni magis nobis

---

1 *Twinus* de rebus *Albionicis* p. 50. *Lluydus* in fragm. *Britan.* deſcript. p. 12. 13. 2 *Somnerus* de portubus & caſtris in *Cantio* p. 3. &c. aliique. 3 *Dominicus Marius Niger* Geographiæ p. 19. 4 P. Jovius in *Angliæ* deſcriptione. *Ælius Ant. Nebriſſenſis* in Dictionario.

atten-

attendendum, propter accuratam horum locorum cognitionem, qua pollebant, aut certe pollere debebant. Qui *Dubrim Rutupiaſque* eandem urbem eſſe volunt, *Matthæum Florilegum*, *Weſtmonaſterii Monachum*, ejuſdemque farinæ ſcriptores ſequuntur; ſed quam temere id fecerint, demonſtrant, primo *Itinerarium Antonini*, in quo non ſolum illorum locorum diſtincta mentio fit, ſed diverſa iiſdem à *Duroverno* diſtantia tribuitur; *Rutupiis* M. P. XII. *Dubri* M. P. XIV. *Tabulæ* deinde *Peutingerianæ*, in quibus ſeorſim ponuntur; [1] Notitia denique Imperii Occidentalis, in qua *Dubri* Præpoſitus militum *Tungricanorum*, *Rutupiis* Præpoſitus [2] legionis II. *Auguſtæ*, in ſtationibus fuiſſe dicuntur. Ex his ſatis liquet *Dubrim* atque *Rutupias* eodem loco non fuiſſe. Qui *Rutupias Sandwicum* transferunt, ad verum quidem earum ſitum propius accedunt, rei tamen veritatem minime attingunt: quippe multa ſunt quæ ſuadent, eas, quamvis *Sandwico* non procul abfuerint, ibi tamen non eſſe ſtatuendas. Urbem enim, quam quærimus, [3] *Camdenus*, "in

---


1 Pag. 161. 2 Notanda hic *Guid Pancirolli* hujus libri Editoris oſcitantia, qui legionis hujus nullibi in Notitia mentionem eſſe tradit p. 177. 3 In *Cantio*.

"de-

"dejectu collis, cui caſtrum imponitur, expor-
"rectam jacuiſſe; illius plateas ſeſe interſecantes
"ſuccreſcente ſegete in arvo propter caſtri mœ-
"nia comparere; aream illam, aratro proſciſſam,
"nummos *Romanorum* aureos & argenteos ve-
"tuſtatis ſuæ indicia ſæpenumero egerere:" quod
[1] *Lelandus* olim dixerat, ſuo ſcilicet, & ſuperioribus ſeculis, majorem copiam nummorum *Romanorum* ibi repertam, quam ullibi in tota hac Inſula. Hæc ille recte, atque præclare. Quid autem è contra [2] *Somnerus*? urbem ſcilicet longe ab arce divulſam, in locum uliginoſum atque paluſtrem trahere; quem ſitum, propter inſalubritatem, [3] *Romani* in urbibus deſignandis evitare ſolent: nullum vero monumentum, ne nummulum quidem ibi effoſſum, proferre, nullum ſententiæ ſuæ idoneum teſtem citare præter [4] *Matthæum Florilegum Weſtmonaſterienſem Monachum* (qui tradit *J. Cæſarem* in *Rutupi* portu, qui modo *Sandwicum* dicitur, applicuiſſe, id eſt, in portu qui olim *Rutupi*, modo autem *Sandwici* dicitur; ubi non de urbe, ſed de portu, ſermo eſt) & [5] *Panci-*

1 Apud *Somnerum* de portubus & caſtris in *Cantio* p. 89. 2 De portubus &c. p. 3. &c. 3 *Vitruv.* Architect. l. 4. 4 Pag. 38. 5 Notit. Imperii p. 161.

rollum



CASTRI RUTUPINI

ab Occidente Prospectus.

A. *Prætorium*. B. *Porta Decumana, ita posita ut (secundum regulam Vitruvianam) accedentium dextrum latus scuto non tectum obsessorum telis sit proximum.*
C. *Sinus* Pegwell Bay *dictus* D. *Tanatis Pars eminentior.* E. *S. Laurentij Ecclesia.*
F. F. F. *Stura sive Wantsumu Fluv. qui rivulis in planitiem, quam Portus olim occuparit, delatis auctus Tanatim à continente disjungit, & in mare ad* G *defluit. Promontorio ad oram Wantsumi dextram juxta* G. *Peperneæ nomen.* H. *Estanora, vulgo* Stonar.

Reverendo admodum in Christo Patri Roberto Episcopo Petroburgensi nec non in Academia Oxoniensi Linguæ Hebraæ Professi Regio & Ædis Christi Canonico hanc Tabulam DDD. Ol. Battely.

Ad dextram Wantsumi ripam juxta partes. II. *Sandvicum situm est, intra justos hujus Tabulæ limites vix contrahendum.* K. K. K. *Tanatis Planities à mari olim occupata.* L. L. *Planities arenosa à Sandvico Delam usque extensa.* M. *Dela.*
N. Sandowne Castle. O. *Dunæ.* P. *Pharos in Promontorij Australis culmine sita.*
Q. *Vicus. D.ae Margaretæ, vulgo* S.t Margarets at Clift.
R. *Oppositum Morinorum litus.*

P. Fourdrinier Sculp.

rollum, virum doctum ſed exterum, cujus autoritatem ſi *Camdeno* noſtro opponerem, valde delirare viderer. Illud denique *Somnerus*; platearum tractus, quos *Camdenus* extra caſtrum fuiſſe notat, in caſtrum trahere; eſſe ſacelli neſcio cujus fundamenta, probare; illud in *Camdeno* refutare, quod viro cordato μηδ' ὀνείροις in mentem venit; ſcilicet urbem *Rutupias* in ipſo caſtro fuiſſe. Quis autem mortalium non videt ἀπροσδιόνυσα eſſe hæc omnia?

II. Hactenus de urbe. Ad caſtrum jam me converto; de cujus ſitu non patiuntur nos dubitare præclaræ illius reliquiæ, quæ VII. circiter ſtadia à *Sandwico* in edito loco adhuc conſpiciuntur. Figura quadrilatera erat: longa paſſus CL. lata CV. qua proportione [1] *Romani* caſtra metari ſolebant: ea enim pulchriora credebant, quibus ultra latitudinis ſpatium tertia pars longitudinis addebatur. Mœnia craſſa ſunt pedes XII. eorum altitudo prorſus neſcitur, quoniam nullo loco integra eſt. In circuitu ad ſingula trium pedum & dimidii intervalla duplex cernitur ordo coctorum laterum, longorum uncias XVI. latorum XI. craſſorum unam cum di-

1 *Vegetius* de re militari III. 8.

midia; horum uſum quis non videt? ſcilicet quum reliqua ſtructura è lapidibus globoſis conſtaret, eos lateres firmabant. "[1] Eſt enim glo-"boſus lapis contra injurias fortis, ſed ad ſtru-"cturam infidelis, niſi multa ſuffrænatione de-"vinctus." Suffrænationem & alligationem alternis laterum choris ſive ordinibus factam fuiſſe docet nos [2] Architectorum magiſter; quam conſtruendi rationem procul dubio reſpiciebat [3] *Nennius*, quum narraret innumera eſſe in *Britannia* caſtella ex lapidibus & lateribus fabricata. Intus in caſtri area verſus partem Septentrionalem, vepribus & dumetis obſitæ deliteſcunt ſubſtructiones vetuſtiſſimæ atque firmiſſimæ, quas [4] *Somnerus* ſacelli fundamenta eſſe contendit; ego autem, quoniam in ea caſtrorum parte ſunt ubi *Prætorium* eſſe ſolet, ad id pertinuiſſe minime dubito.

12. Poſt *Prætorium* in Septentrionali muro aperit ſe porta *Decumana*, per quam egreſſus patet non rectus ſed obliquus juxta [5] *Vitruvianam* regulam; qua præcipitur, excogitandum eſſe uti portarum itinera non ſint directa, ſed σκαιά. Orientale caſtri latus ſubſidente clivo to-

---

1 *Plin.* Hiſt. Nat. XXXVI. 22. 2 *Vitruvius* II. 3. 3 Hiſt. *Brit.* II. 4 De portubus & caſtris *Cantii* p. 6. 5 De Architect. I. 5.

tum

tum concidit; cætera ruinam minantur: etenim omnia hedera cooperta ſunt, quam ruinoſæ vetuſtatis & ſignum, & cauſam eſſe novimus; idemque in muris facere quod in arboribus, quarum interitum illius vitio tribuit [1] *Laberius.*

Ut hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat.

13. Habetis præſentem *Rutupiarum* faciem, ſqualidam quidem, ſed venerandam. In iis vero illuſtrandis quoniam jam ſumus, non tacenda ſunt celebria nomina, quibus apud *Auſonium* nobilitatæ ſunt; *Claudii* ſcilicet *Contenti*, poetæ illius patrui,

—— [2] *tellus quem* Rutupina *tegit*;

nempe in illius urbis territorio ſepultum: etiam *Flavii Sancti*, *Auſonio* affinitate conjuncti,

[3] *Præſide lætatus quo* Rutupinus *ager*;

id eſt, qui præſidio *Rutupino*, ſive legioni II. *Auguſtæ* præpoſitus erat. *Claudii* denique *Magni Maximi*, quem poeta [4] *Rutupinum* latronem vocat; quoniam forte, quum [5] pirata eſſet, eo portu præcipue uſus ſit; vel quod purpuram ibi ſumens, abducto è *Britannia* milite *Romano*,

---

1 *Macrob. Sat.* II. 7. 2 In *Parentalibus*. 3 Ibidem. 4 In claris urbibus. 5 *Latinus Pacatus* in panegyrico *Romæ Theodoſio* dict.

inde in [1] *Rheni* oſtia ſolvebat. Non neſcio *Eliam Vinetum*, ubique in notis ad *Auſonium*, dicere *Rutupinum* idem ſignificare quod *Britannicum*; quæ opinio etiamſi *Rutupiis* perquam honorifica ſit, quaſi toti *Britanniæ* nomen ſuum impoſuiſſent, metuo tamen ne non ſit vera; uti nec illa narratio, quam à *Sandwicenſibus* accepi, fuiſſe olim propter *Rutupias Æſculapii* fanum; ibique hoc ſeculo erutum gallum æneum, Dei fortaſſe donarium, quale extrema voce *Socratem* voviſſe legimus: [2] Ὦ Κρίτων, τῷ Ἀσκληπιῷ ὀφείλομεν ἀλεκτρυόνα.

14. Hic ab utroque interpellatus jubebar non nugari; quin potius ſi quid amplius haberem de *Rutupiis* dicendum, ad illud protinus me accingerem. Tunc ego, geram vobis morem; & agam quam breviſſime potero. Nominis *Rutupini* celebritatem, frequens illius mentio apud Scriptores antiquos, qui res noſtras tractarunt, ſatis indicat; eſt enim à *Lucano*, *Juvenale*, *Auſonio* decantatum; à *Tacito*, *Ammiano Marcellino* & *Oroſio* memoratum; in *Ptolemæi Geographia*, in *Antonini Itinerario*, in *Anonymi Ravennatis Indice*, in *Tabulis Peu-*

1 *Zoſimi* Hiſt. lib. IV. p. 248. Oxon. 1679. 2 *Plato* in *Phædone*.

tingerianis

tingerianis, in *Notitia* denique *Imperii Occidentalis* legitur: à *Cæſariano* milite in urbem advectum fuiſſe dicitur, & inter eos in proverbium fere abiiſſe, qui illius litoris æſtibus *Cæſarianas* claſſes non ſemel afflictas fractaſque conſpexerant. Illuſtriores adhuc *Rutupias* facit frequens atque conſtans *Romanarum* claſſium in illum portum appulſus. De *Julio Cæſare*, *Claudio* atque *Veſpaſiano*, quoniam ubi appulerint ambigitur, alio loco prolixius dicendum erit: hic nihil niſi certum atque exploratum apponam; ſcilicet [1] *J. Agricola* in *Britannia* agente, *Romanam* claſſem portum *Trutulenſem* ſive *Rutupinum* tenuiſſe: [2] *Lupicinum*, Magiſtrum armorum, huc ſub *Conſtantio* miſſum, *Bononia* ad *Rutupias*, ſitas ex adverſo, delatum: [3] *Theodoſium* denique tranſmeato lentius freto, *Rutupias*, ſtationem ex adverſo tranquillam, veniſſe.

15. Quoniam in portus *Trutulenſis* mentionem incideram; memini, inquit, *Whartonus*, quum hoſpes tuus eſſem, quoties in cœna piſces, quos *Trutas* ſive *Trutulas* vocant, apponerentur (id autem non raro fiebat) toties te eas

1 *Tacitus* in vita *Agricolæ*. 2 *Ammian. Marcell.* xx. 1. 3 Apud eundem xxvii. 8.

in

in portu *Trutulenſi* captas dicere, quaſi is ab eo piſcium genere nomen traxiſſet. Odi, inquam, memorem convivam, qui verbum inter fercula jocoſe dictum ad rem ſeriam transfert: ne autem inepte jocatus eſſe videar, quid ſerio ſentiam de ea re, paucis accipe. *Beatus Rhenanus* pro portu *Trutulenſi Rutupienſem* legendum eſſe cenſet, ſuffragante toto fere literatorum ordine: ego autem vocem illam nec temere mutandam, nec inconſultè rejiciendam eſſe puto. Quid enim, mi *Whartone*, an tu neſcis fluvium, in quo ego portum *Trutulenſem* fuiſſe contendo, eo piſcium genere abundare, atque illic, ut [1] *Alani ab Inſulis* verbis utar, "tructulam ſinus "marinos ingredientem, in æquore baptizatam, "*Salmonis* nomine cenſeri?" an putas minus notas fuiſſe *Romanis* portus *Rutupini* trutas, quam [2] fundi *Rutupini* oſtrea?

16 Sed fortaſſe *trutarum* ſatietas vos cepit: igitur amoventor: earumque loco Inſcriptionem *Amerbachianam* à [3] *Camdeno* laudatam apponam, in qua *Triputii*, ignoti in *Britannia* loci, memoriam conſervari cenſet vir doctiſſi-

1 In libro de planctu naturæ citante *Jac. Sirmondo* in notis ad *Sidonii Apol.* Ep. 11. 2. Par. 1652. 2 *Juvenal* Sat. VI. 3 De *Britanniæ* nomine.

mus

mus. Verba quæ rem noſtram ſpectant, hæc [1] ſunt.

NYMPHIS ϕ
N. ϕ. BRITTON.
TRIPVTIEN. ϕ &c.

Ego vero ad *Rutupias* noſtras pertinere autumo, & pro TRIPVTIENO legendum eſſe RIPVTIENO. Quid dein? inquit *Whartonus*, viſne tu, dura atque immani ſyllabarum trajectione, è *Riputieno Ritupienum* facere? Reſpondi, ejuſmodi trajectiones exemplis non carere; apud nos idem oppidum & Καμυλόδωνον & *Camulodunum* dici; eundem *Britanniæ* populum *Ptolemæo* Δοβόνιοι, [2] *Dioni* Βοδόνιοι eſſe. Sed quid verbis opus eſt? memini, quum in ſchola *Sandwicenſi*, ſive, ut eam vocare amabant, *Rutupina*, cum *Thomaſiis* fratribus inambularem, *Timotheum*, qui illam tunc temporis regebat, *Juvenalis* cum *Scholiaſte* codicem MS. protuliſſe, meque, in illum verſum, ubi *Rutupini* fundi mentio eſt, oculos conjicientem, ipſiſſimam de qua loquimur Syllabarum trajectionem deprehendiſſe, ita quippe legebam

—— [3] *Ruputinove edita fundo*
Oſtrea ——

1 *Grut.* XCIII. 5. 2 Hiſt. *Rom.* LX. 3 *Juv. Sat.* IV.

&

& in ſcholiis, "*Riputia* civitas eſt *Britanniæ*, "ubi grandia oſtrea naſcuntur; hinc *Ruputinus* "fundus dicitur & *Ruputinum* oppidum." ꝛ, quod in initio eſt, non penitus abjicio; ſed, in ı mutans, ad finem præcedentis verbi rejicio; & ſi fas ſit *Britanno Germanum* ſcriptorem, ſive ſculptorem, in *Britannica* voce corrigere, ſic legerem:

NYMPHIS ϕ
N̄ ϕ BRITTONI
RIPVTIEN ϕ.

Sed hujuſmodi tricis nolo vos diutius impedire; ſi quid igitur amplius de *Rutupiis* ſcire vultis, nunc me percunctamini; eſt enim locus opportunus.

17. Tum *Mauritius*, video, inquit, vetuſtatis *Rutupiarum* famam valde periclitari, niſi iis ſuccurratur; quippe [1] dicunt, portum *Rutupinum Cæſaris* temporibus non multum floruiſſe, ſed ad *Dubrim* omnes è *Gallia* naves appulſas fuiſſe: id [2] *Cæſarem* ipſum docere, cujus hæc verba laudant: "Inſula natura triquetra; cujus "unum latus eſt contra *Galliam*; hujus lateris "alter angulus, qui eſt ad *Cantium*, quo fere "omnes è *Gallia* naves appelluntur, ad orien-

1 Autor notarum ad *Caroli* de *Fraxinis* portum *Iccium* p. 93. & p. xxiv, *Philippi Cluverii Germania* Antiqua ıı. 28. 2 De bello *Gallico* v, 13.

"tem

Tab. IV. pag. 33. 42

a. Fundus Rutupinus. *b. Castrum* Rutupinum. *c* Estanora
Punctorum Series d.d.d.d. planitiei limites designant,
quam portus olim occuparit.
Aggeres e.e.e., The Abbots Wall *dicti, molibus &*
impedimentis ortum debent, quæ Monasterij S. Augustini
Abbas, hujus partis insulæ Dominus, mari decrescenti
primus objecit, inter quos aggeres & Wantsumi *alveum*
lata planities hodie interjacitur.
f. Canalis inter Fl. Genlade & Wantsumu *ductus,*
ubi Tanatis *Continenti ponte conjungitur.*



TANATIS. I.

North mutha

Porta Occidentalis. Westgate

Margate

Promontorium Septentrionale

Eccles. S. Petri

Eccles. S. Nicolai

Monkton

Sarre

Minster

Eccles. S. Laurentij

Ramesgate

Wantsumu Fl.

Sandwicum Lundenwic

Staple

DUNÆ

Sandown

Dela

Walmer

Eccles Dæ Margaretæ

Promont Australe

Castrum Dubrinum

Dubris

"tem ſolem; inferior ad meridiem ſpectat." Ego vero, inquam, *Mauriti*, tam cæcus ſum, ut nihil hic videam quod *Dubri* magis quam *Rutupiis* conveniat. Quid enim ſi ego ita diſputarem; *Dubrim Cæſaris* temporibus non multum floruiſſe, ſed ad *Rutupias* omnes è *Gallia* naves appulſas fuiſſe, idque adducto eodem *Cæſaris* loco confirmarem? Tantundem argumentum meum, quantum eorum valeret, hoc eſt nihil. Fruſtra enim hæc verba in diſputationem trahuntur, priuſquam conſtet quid *Cantii* nomine *Cæſar* intellexerit: illud vero expendere, nec ab inſtituto noſtro alienum; neque difficile erit ſcriptoris luculentiſſimi ſenſum inveſtigare. Illi, contra quos diſputamus, ambiguitate vocis *Cantii* decepti, erraſſe videntur; quam quidem ambiguitatem non *Cæſaris* incuriæ in ſcribendo, ſed eorum indiligentiæ in legendo, attribuendam eſſe cenſeo. Quis enim non ſtatim videt imperatorem maximum de tota *Cantii*, qua patet, ora, quam omnem maritimam eſſe dicit, non autem de ſingulari aliquo iſtius litoris promontorio, loqui? Ita profecto judicat [1] *Ortelius*, "*Cæſarem* totum hunc

1 *Theſaur.* Geograph. in voce *Cantii.*

"tractum inſulæ, qui ſe verſus ortum exten-
"dit, *Cantium* vocare." Ad illum vero tractum, quum *Galliæ* proximus ſit, *Gallos* mercatores naves ſuas appellere ſolere ait *Cæſar*; de *Dubri* prorſus nihil. Non equidem nego antiquos ſcriptores *Cantii* promontorii meminiſſe, quod [1]τὸ μὲν ἐλάχιστον ἀπὸ τῆς ἠπείρου διεχηκὸς ἀκρωτήριον. [2]Τὸ κατ' ἀντικρὺ τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ρηνοῦ. ἐωθινώτατον σημεῖον τῆς Βρεττανικῆς. [3]Τὸ Κάντιον ἄκρον, vocant. Illud promontorium quum [4]*Cluverius* [5] inter *Dubrim* & vicum D. *Margaretæ* collocaret, atque id cum *Cæſaris Cantio* idem eſſe ſupponeret, temere ad *Dubrim* omnes è *Gallia* naves appelli aſſerit. Cur enim non potius ad *Rutupias*, quas non ſolum in *Cæſaris Cantio* fuiſſe, ſed toti *Cantii* oræ maritimæ nomen impoſuiſſe conſtat? Tum præterea, ſi ſola *Dubris* tunc florebat, quare omne hoc litus ab initio *Rutupinum*, non autem *Dubrinum* appellabatur? quippe ſolent iſtiuſmodi denominationes à principali atque digniore loco originem ducere. Sed ad *Cæſaris* deſcriptionem revertor: Ille *Cantium* quo *Galli* confluebant, ad orientem ſolem, reliquam vero illius anguli partem, ad meridiem ſpectare dicit; in illo ſunt

---

1 *Diodor. Sic.* IV. 2 *Strabo* IV. 3 *Ptolemæi* Tabb. Geograph. 4 *Germ.* Antiq. II. 28. 5 The South-foreland

Rutu-

Rutupiæ orienti, in hac *Dubris*, meridiei fere obverſa. Vos judicate, cujus loci vetuſtati adductus *Cæſaris* locus magis faveat.

18 Tum *Mauritius*, plurimum, inquit, cum *Rutupiis* facit, cum *Dubri* nihil. Certe in hac quæſtione illud primum quærendum erat, quare *Cluverius Cantium* inter *Dubrim* & vicum D. *Margaretæ* collocet. Recte, inquam, *Mauritius:* namque illud ſine probatione, ſine autore facere, nihil aliud eſt quam conjectandi licentia abuti. Calculus ſane *Ptolemaicus* id minime ſinit, quippe qui *Cantio* atque *Rutupiis* eandem latitudinem aſſignat; quæque *Dubri*, longe infra ad meridiem poſitæ, nullo modo convenire poteſt. Princeps ille geographorum, ſi *Camdenus* rectè judicat, Κάντιον ἄκρον extremum hujus anguli verticem ſtatuit, id eſt, [1] promontorium *Tanatis* eſſe vult, quod ſeptentrionale vocamus. Tunc *Mauritius*, inſpectis tabulis, video inquit hic *Ptolemæi* calculum turbari; quomodo enim fieri poteſt, ut iſti promontorio, ubi ille *Cantium* eſſe putat, atque *Rutupiis*, eadem latitudo conveniat, quum hæ non paulo magis quam illud ad auſtrum ſubſidant? qui

---

1 The North-foreland.

Cantium xv. ſcrupulis *Rutupiis* orientalius eſſe poteſt, quum poſt *Rutupias* nihil ſit verſus orientem præter ipſum mare? Ego vero duplici huic nodo unum cuneum ſufficere, ſi eo uti liceret, reſpondebam. Dixeram enim, in initio hujus ſermonis, non improbabile eſſe *Rutupias* geminas fuiſſe, earumque alteram, inclinante in *Britannia* imperio *Romano*, *Regulbium* appellatam fuiſſe. Si vero *Ptolemæum* de *Rutupiis* his *Regulbinis* intelligamus, nec video quare id non faciamus, integer erit rectuſque illius calculus, cum quoad longitudinem tum quoad latitudinem iſtorum locorum.

19. Huic argumento de *Cantii* ſitu favere videtur *Strabo*, qui id *Rheni* oſtiis proximum fuiſſe docet; imo tam prope abfuiſſe, ut ab iis conſpici poſſet: de *Britanniæ* enim *Celticæque* ſitu loquens, ait orientales earum partes, [1] πάγε ἑῷα ἐγγὺς ἀλλήλων ἐστὶ μέχρις ἐπόψεως, τό, τε Κάντιον, καὶ αἱ τῶν Ῥιτούβων ἐκβολαί. Hic ab *Whartono* interpellatus ſum; qui *Strabonem* falſi inſimulans, eum idcirco jure merito à [2] *Somnero* vapulare aiebat. Vapulat, inquam, ſed immerito; ita enim [3] alio loco mentem ſuam explicat; ſcilicet, *Itium* navale

1 Geogr. lib. 1. IV. 2 In portu *Iccio*. 3 Lib. IV. p. 138.

propter

propter trajiciendi uſum ad *Rheni* oſtia pertinere, ac proinde eorum nomine contineri: quum igitur dicit *Rheni* oſtia è *Cantio* conſpici poſſe, id de *Itio* intelligendum eſſe: ſed ipſum, *Xylandro* interprete, loquentem audite: "Quatuor ſunt uſitati è continente in inſulam trajectus, nimirum ab oſtiis fluminum *Rheni*, *Sequanæ*, *Ligeris* & *Garumnæ*. Qui à *Rheni* partibus trajiciunt, ii non ex ipſo ſolvunt oſtio, ſed à *Morinis*, *Menapiorum* conterminis, apud quos eſt etiam *Itium*, quo navali uſus eſt *Cæſar*" &c. Hæc ſi perpendantur, non dubito quin doctorum urna *Strabonem* abſolutura ſit. Atque hæc de *Rutupiarum Cantii*que ſitu dicta ſunto; quæ, etiamſi nec veriſimilitudinis ſpecie, nec novitatis gratia, abundare videantur, alios tamen ad ulteriorem hujuſce rei inveſtigationem fortaſſe inſtigabunt. Vos porro orationem meam in illam, quam vultis, partem dirigitote.

20 Anſam datam arripiens *Whartonus*, quandoquidem inquit

[1] *Eſt in conſpectu* Tanatis, *notiſſima fama Inſula*, ——

---

1 *Virg. Æneid.* II.

noli

noli illam inſalutatam præterire. Si ita, inquam, mi *Whartone*, facerem, illud tibi, inſulæ iſtius incolæ, non autem mihi, vitio vertendum eſſet. Etenim perquam iniquum eſt illud à me poſtulare, quod tu ipſe præſtare debebas: ſed, quoniam ita jubes, morem tibi geram; eaque, quæ ad *Tanatis* famam illuſtrandam vel relatu accepi, vel in veterum ſcriptis inveni, narrabo. Illud igitur imprimis *Tanatenſes* tuos jactare audio, *Claudium* Imp. ad illam inſulam, in loco quem [1] *portam occidentalem* vocant, appuliſſe. Ego, etiamſi vulgi famam, quæ cum temporis diuturnitate veritatis ſpeciem conjunctam habet, non temere repudiandam eſſe ſentiam; ita tamen neque facile admittendam, ubi nulla autoritate ſubnixa, magna atque contraria probabilitate oppugnari poteſt: quo quidem incommodo ſermonem hunc laborare valde metuo. Etenim nemo ex antiquis ſcriptoribus id unquam tradidit; neque probabile eſt *Claudium* Imp. alio loco ad exſcendendum in hanc inſulam uſum, quam quo ante uſus erat *Cæſar*. [2] *Bucherius* certe de loco, unde in *Britanniam* profecturus ſolvebat, ita

---

1 Weſt-gate. 2 *Belgium Romanum* p. 147.

diſpu-

diſputat; "cur *Claudius*, aut *Caligula*, in *Bri-*
"*tanniam* primi poſt *Cæſarem* cum exercitu
"tranſmiſſuri, alium portum à *Cæſariano*, nullo
"adhuc experimento cognitum, prætuliſſent?
"cur ſupra *Julium* ſapere voluiſſent?" Quæ quidem argumentatio tam de loco ad quem *Claudius* appellebat, quam de eo unde ſolvebat, plurimum valet: præſertim quum liber atque apertus eſſet in inſulam aditus, neque haberent *Britanni* aut in mari claſſem, aut in terra exercitum, quo hoſtem impedirent; tunc enim [1] fugati ab *A. Plautio* trans fluvium *Tameſim* coercebantur. Illud etiam *Tanati* perhonorificum putant, in ea olim fuiſſe *Rutupias*, *Cantiorum* urbem celeberrimam: ita [2] *Joannem Lelandum* dicere, teſte [3] *Lambardo*: ego vero id è *Lelando* elici poſſe minime puto; ſed vix tanti eſt illius verba accuratius perpendere. Ego quidem *Rutupias*, nec in inſula *Tanati*, neque in *Britanniæ* continente fuiſſe cenſeo; ſed in inſula propria, quam *Wantſumus* propter oſtium ſuum orientale faciebat; quippe paluſtris atque humilis planities, qua *Rutupinus* ager undique clauditur, demonſtrat cuilibet loci ſi-

1 *Dion. Caſſ.* Hiſt. *Rom.* LX. 2 Collectaneorum MSS. in Biblioth. Bodl. Vol. 3. p. 138. 3 In *Cantii* peramb. pag. 91.

tum

tum contemplanti, eum olim aquis circumfuſum fuiſſe.

21. Tumque *Whartonum* reſpiciens, illud, inquam, miror, rem, quam & ad commodum tuum maxime attinere, & in *Tanatis* laude ponendam eſſe, omnes vident, à te nondum illi vendicari atque nobis oſtentari, frugum ſcilicet copiam atque ubertatem. Etenim quum legimus *Britanniam*, & ipſam frumento abundaſſe, [1] aliiſque inſuper gentibus annonam ſuppeditaſſe, illud præcipue de *Tanati* intelligendum eſſe multa ſuadent, imprimis portûs *Rutupini*, cujus undis alluitur, commoditas, quemque claſſibus frumentariis excipiendis parem fuiſſe ſupra indicatum eſt; dein ipſius *Cantii* vicinia [2] proxima ad oſtia *Rheni*, per quæ è *Britannia* in continentem annona inferri [3] ſolet: inſulæ denique ipſius, arvorumque vicinorum fertilitas, quæ ab antiquitate celebrata, ad noſtra uſque tempora perdurat. Etenim annon hodie talis eſt, qualem eam olim depinxit [4] *Solinus*, frumentariis campis felix, & gleba uberi? Quid igitur ſi dicerem [5] *Artemidorum* geo-

---

1 *Ammian. Marcell.* XVIII. 2. 2 *Strabo* Geogr. I. IV. libris. 3 *Eunapii* legation. p. 211. *Zoſimus* lib. III. *Juliani* Epiſtola ad S. P. Q. *Athen.* 4 Polyhiſtor. cap. XXIV. 5 Apud *Strabonem* lib. IV. p. 137.

graphum

graphum *Tanatim* veſtram reſpexiſſe, quum narraret "fuiſſe inſulam *Britanniæ* propinquam, "in qua Deabus frugiferis, *Cereri* atque *Pro-* "*ſerpinæ*, ſacrificaretur eodem ritu quo in "*Samothrace*?" Illud, inquam, ſi dicerem, quo me teſte, quibus argumentis convinceretis?

22. Nos, ait *Whartonus*, conjecturæ probabili minime refragabimur; tu modo, ſi quid aliud de hac re in mentem venit, illud nobis imperti. Mihi, inquam, prorſus nihil, niſi illud attinet dicere, ubique fere per totam inſulam nummos *Romanos* erui, quorum non uno te theſaurum meum locupletâſſe memor atque gratus agnoſco. Ille vero, officioſe nimis id commemoras: quumque pergeret me rogare de eorum opinione, qui *Toliapim Ptolemæi* atque *Tanatim* eandem inſulam eſſe volunt: reſpondi eam parum mihi probari; quoniam cum *Ptolemæi* calculo minime convenit; is enim integrum longitudinis gradum cum quadrante inter *Rutupias* atque *Toliapim* ponit, quæ cum *Tanati* continentes ſunt: per me igitur licere *Shepiæ Toliapis* nomine frui; quod, quoniam in oſtiis *Medwægi* atque *Tamiſis* opportune ſi-

---

1 *Lelandus* in excerpto è *Ptolemæi* MS. *Toliapis* inſulæ, ſive *Teno*, vulgo *Tenet*. in Bibliothecâ *Cottonianâ*, *Julius*. C. 6.

ta, atque exigendis vectigalibus, quæ forte in iis fluviis pendi ſolebant, commodiſſima ſit, optime meretur; eſt quippe vectigal *Britannicè Tolli* ſive *Tollfa*.

23. Hic *Whartonus*, at unde *Tanati* nomen? Ego, inquam, propter nocturnos ignes prætervigantium gratia in illius inſulæ clivis accenſos, quod etiam hodie ſit, *Tanatim* dictam puto, quum ignis *Britannicè tân* vocetur. Nihil tamen in ea re ſtatuo, donec de vera iſtius vocabuli lectione conſtiterit, tot enim eſſe illius inſulæ nomina, quot fere ſunt *Soliniana* exemplaria, obſervavit [1] *Joannes Camers*. Ego *Tanatim* ubique voco, quoniam ita vocandam cenſet [2] *Salmaſius*. In ea, inquit *Mauritius*, lectionum varietate, quoties *Athanatim* ſive *Athanaton* video, toties fateor mihi in memoriam redire Σποράδας illas circum *Britanniam*, quarum quædam Δαιμόνων καὶ Ηρώων νῆσοι appellabantur, propter divinos, ut credebatur, incolas: ita enim narrantem *Demetrium Tarſenſem* Grammaticum, qui earum unam adierat, inducit [3] *Plutarchus*: Ob iſtiuſmodi fortaſſe fabulas, inſulam, de qua ſermo eſt, Αθανάτων νῆσον di-

1 In *Solinum*. 2 Exercit. *Plin.* in *Solinum* p. 247. 3 Περὶ τῶν ὑπολοιπόντων χρηστηρίων.

ci

ci potuiſſe credibile eſt. Ego vero, inquam, *Whartoni* noſtri cauſa, qui inſulam illam incolit, id revera ita eſſe optarem: ſed non ſunt, non ſunt, *Mauriti*, in hoc noſtro orbe immortalium inſulæ; illæ enim poſitæ ſunt

Longe ultra liquidum tranantes æthera
ſtellas,

ſola fide duce, virtute comite, adeundæ; ad quas vos iter rectum ingreſſi, mihi præitis. Accipimus, inquit *Whartonus*, omen; nos præibimus, tu, quando *Deo O. M.* viſum erit, ſequêre. Inopinato hoc ſermone perculſus, quum aliquandiu hærerem, meque de præclaro eorum exemplo, non de fatorum ordine, locutum eſſe dicerem: mittite iſta, inquit *Mauritius*, quid enim aliud eſt omina ex obſervatione dictorum capere, quam aniliter atque ſuperſtitioſe deſipere? multo ſane tolerabiliores ſunt iſtæ fabulæ, quarum occaſione in hos ſermones incidimus; ad eas igitur finite me redire.

24. Mira eſt illa narratio quam è [1] *Tzetze* dedit nobis [2] *Camdenus* de animabus vita functorum, jamque immortalitate donatorum, è *Galliæ* continente in inſulam noſtram trajicien-

---

1 Comment. in *Lycophron.* p. 179. 2 *Britan.* p. 2.

dis. Quid tu, mi *Joannes*, ſentis? iſtius, inquam, narrationis autor [1] *Procopius* erat, non *Tzetzes*; is autem, ſi quod ſentio dicam, eam à *Monachis* accepit, qui confictis iſtiuſmodi fabellis, vectigalium remiſſionem ſibi ſuiſque impetrare ſolebant; dicuntur enim in *Francorum* quidem ditione fuiſſe, non tamen iis vectigales, propter prædictam operam, quam defunctorum animabus in *Britanniam* tranſportandis dabant. Huic narrationi alia [2] *Antonii Mureti*, non minus lepida, ſubjungi poteſt: ſcilicet à quodam hiſtoriæ ſcriptore proditum eſſe, *C. Julium Cæſarem* in *Britanniam* aliquando una triremi cum centum hominibus delatum; quumque incredibili loci amœnitate captus, ſedes ibi capere vellet, ab illis ἀειδέσιν incolis invitum & reluctantem ejectum eſſe. Illud *Cæſari* ſi unquam accidit, tunc accidiſſe reor, quando in *Britanniam* tranſvecturus, ante, per ſe, portus & navigationem & acceſſum ad inſulam, teſte [3] *Suetonio*, explorabat.

25. *Whartonus*, quum amplius ſe continere non poſſet, apage, inquit, cum iſtis nugis. Quid enim, annon vos viri graves ſatis delirare vi-

---

1 Γοτθικῶν IV. 20. 2 Var. Lect. v. 1. 3 In *Julio Cæſare* cap. 58.

demini

demini, dum in quiſquiliis antiquariis occupamini, niſi in fabulas quoque, quæ ſunt ipſius antiquitatis ſordes atque fæces, dilabimini? ad ea igitur, unde aberrare cœpit, oratio noſtra revocetur, *Rutupias* redeamus, quæque de illius urbis nomine, ſi qua habeas, audiamus, exploremus. Volens lubenſque, inquam, illud faciam. [1] *Camdenus* id nomen à *Britannicis* vocabulis *Rhyd-tufith*, ſive vadis ſabuloſis, derivari judicat; à qua ſententia quamvis propter viri doctiſſimi autoritatem non temere diſcedendum eſſe putem, liceat tamen, ea ſalva, alia quædam in medium proferre, quæ etiamſi veritatis certitudinem non habeant, tamen nec novitatis gratia, nec probabilitatis ſpecie fortaſſe carebunt. Sunt [2] *Rutubæ* in *Italiâ* fluvii. Eſt [3] *Rutubis Mauritaniæ Tingitanæ* portus. Eſt [4] *Rutupe Siciliæ* urbs. Sed loca tam longe ſita ad rem præſentem minime traho: quando autem *Rutupias* noſtras tam ab [5] *Oroſio* quam à [6] *Beda*, *Rutubi portum* conſtanter appellari videam, pariterque legam fuiſſe in *Gallia*, *Julii Cæſaris* tempore, *Rutubi portum*, quidni, ipſo *Cæ-*

---

1 *Britannia*, in *Cantio*. 2 *Plin.* Hiſt. Nat. III. 5. *Lucan* II. *Vibius ſequeſter*. 3 *Plin.* Hiſt. Nat. v. 15. 4 *Æl. Anton. Nebriſſenſis*. 5 Lib. 1. cap. 2. 6 Hiſt. Eccleſ. *Anglic*. 1. 1.

ſare

ſare autore, concludam portum noſtrum à *Gallico* nomen accepiſſe? Annon enim is diſerte notat " [1]eos qui è *Belgio*, i. e. *Gallia Belgica*, "in *Britanniam* tranſierant, omnes fere iiſdem "nominibus civitatum appellatos fuiſſe, quibus "orti ex civitatibus eo pervenerunt." Hinc apud nos ſunt *Attrebatii*, *Belgæ*, *Cenimagni*, *Pariſii*, aliæque *Gallicis* & *Belgicis* cognomines civitates. [2]Hinc *Cantios* noſtros à *Cantia Galliæ Belgicæ* fluvio; *Icenos* meos à promontorio *Iceio*, imo & *Britannos* ipſos à *Britannis Belgis* accerſeri video. Neque de civitatibus tantum, ſed etiam de urbibus, illud *Cæſaris* intelligendum eſſe, docent *Condate*, *Cæſaromagus*, *Mediolanum*, *Noviomagus*, quæ ſive urbium, ſive oppidorum apud nos nomina, à *Gallis Belgiſque* derivata ſunt. De *Rutubi* autem *Galliæ* portu audite [3]*Orderici Vitalis* narrationem è priſcis, uti ipſe ait, *Quiritum* Hiſtoriis petitam. " *Rutubus*, potens ſævuſque tyrannus, inexpu-"gnabile, ut putabatur, municipium ſuper mon-"tem juxta *Sequanam* ſervabat, per quod cir-"cumjacentem provinciam, naveſque per pro-"ximum flumen meantes, coercebat. Quod

1 De bello *Gallico* v. 12. 2 *Ægidii Bucherii Belgium Rom.* 1. 5. 3 Hiſt. Eccleſ. lib. x. p. 864 inter rerum *Normannicarum* ſcriptores.

au-

"audiens *Cæſar*, illuc cum exercitu feſtinavit, "& caſtellum, quod *Rutubi portus* appellaba- "tur, expugnavit: cujus oppidi ſpecimen & "ruinas ſolers indigena perſpicue cognoſcit." Hæc quidem *Ordericus*; ſed quoniam idoneos teſtes narrationis ſuæ non producit, nolo ab illius autoritate, id eſt, ab incerto loco argumentum petere.

26. Illud inquit *Mauritius* & recte & ingenue facis: nequeo enim non ſuſpicari, vel *Rutubum* ſævum potentemque tyrannum è *Monachi Uticenſis* cerebello natum; vel *Oroſii* atque *Bedæ portum Rutubi* à *Britannico* litore, neſcio qua vi avulſum, neſcio quo errore, ad *Sequanam* tranſlatum eſſe. Ad rem noſtram propius, imo proxime pertinere videtur vox *Rutuba*, quæ in *Varronianis* verſibus occurrit.

[1] *Ergo tum* Romæ *parce pureque pudenteis*
Vixêre in patriâ, nunc ſumus in Rutuba.

In veteri *Gloſſario*: *rutubatur*, ὀρίνεται. quid autem illud ſit, indicat *Favorinus*, citato [2] *Homeri* verſu,

Ως δ' ἄνεμοι δύο πόντον ὀρίνετον ἰχθυόεντα.

Nonius Marcellus ait, *rutubam* eſſe perturba-

---

1 *Laurenbergii* Antiquar. in *Rutuba*. 2 *Iliad* I v. 4.

tionem

tionem illam, quæ in mari à contrariis ventis excitari ſolet. [1] Hæc autem mari *Rutupinum* litus atque *Bononiam* interfluenti, quod horrendis æſtibus attolli novimus, imprimis conveniunt. Repente hic *Whartonus*, quaſi [2] *ſortem Virgilianam*, illud *Neptuni* ingeſſit,

—— [3] *Sed motos præſtat componere fluctus*

innuens ſermonem hunc de *rutubâ* non multum placere. Accipio, inquam, quam eduxiſti fortem, neque de vocabulo *Latino* amplius contendam. Non tamen argumentum hoc ante dimittam, quam illud obſervaverim, inſulam *Tanatim*, quæ portum *Rutupinum* facit, à *Britannis* [4] *Inis Ruhin* ſive *Ruithinam* appellatam fuiſſe: eſt autem *rhuo*, in eorum lingua *rugire*, ſive *fremere*, quod de phocarum in eo litore fremitu intellexit [5] *Camdenus*: ego ad aliud potius referendum cenſeo, ſcilicet

[6] *Æquoris nigri fremitum, & trementes*
Verbere ripas.

ſi verbum *rhuo* cum *tywyn*, quod *litus* denotat, componamus, habemus nominis derivatio-

---

1 *Ammian. Marcell.* XXVII. 8. 2 *L. Greg. Gyraldus* de poetis *Latinis* Dial IV. 3 *Æn.* I. v. 139. 4 *Nennii* Hiſt. *Britann.* XXVIII. ubi in *Galêi* notis habes hujus vocis lectiones variantes. 5 *Britan.* in *Cantio* edit. 1600. in quarto. 6 *Horat.* Carm. III. 27.

nem

nem [1] *Lucani* deſcriptioni apprime congruentem

—— *Rutupinaque litora fervent.*

Hæc ego vobis, imprimis autem *Mauritio*, quoniam *Britannus* eſt, judicanda permitto; & ne quid omittam, quod *Rutupini* nominis originem inveſtigare volentibus uſui eſſe poſſit, [2] *Anonymi* atque inediti autoris ſententiam de hac re in medium proferam: ſcilicet, "litus *Rutupi-*
"*num*, aut à rupe, aut à *Rutinis Galliæ* po-
"pulis, nunc *Bononienſibus* dictis, ita appella-
"tum:" quam cognationem inter *Rutinos Gallos* & *Rutupinos* noſtros confirmare videtur [3] *Jac. Malbrancquius* de *Ruthenis* ita ſcribens; "quicquid litoris eſt *Caliſium* inter & *Dunker-*
"*kam*, noſtri etiam hodie navarchi *Ruthen*
"nuncupant. Adde *Cantii* oram maritimam
"*Rutupias* nominatam, & accolas *Rutupos*,
"quod *Ruthen* putridum litus aiunt ſonare."

27. Hic *Mauritius*, quanquam, inquit, ea quæ proponis, prima facie propter novitatem vel levia vel incerta eſſe videantur, non tamen ulteriore inquiſitione indigna eſſe exiſtimo. Tu autem, quoniam ea, quæ de *Rutupiis* dicenda

---

1 Lib. VI. 2 Comment. de *Dorenſis* Caſtelli initiis MS. in Bibliotheca *Cottoniana*, *Veſpaſ.* A. 5. 3 De *Morinis* lib. II. cap. I. pag. 86.

erant, penitus exhauſiſſe videris, *Regulbium* nos deducas, idque eadem diligentia, qua in *Rutupiis* deſcribendis uſus es, nobis deſcribas. Tunc ego, diligentia, inquam, non deerit; ſed metuo, ne dies me deficiat. Pone illum metum, ait *Whartonus*, multæ enim horæ adhuc ſuperſunt. Ita eſt, inquam; ego vero de illa luce, de illo die loquor, qui locorum antiquitates inveſtigantibus, è veterum ſcriptis affulgere ſolet. Etenim, quod ante notaveram, quoad nominis celebritatem, prorſus diverſa eſt *Rutupiarum* atque *Regulbii* conditio; quippe illas nulli fere *Romanorum* ſcriptorum, qui res noſtras attigerunt, intactas præterierunt: illæ à *Lucano*, *Juvenale*, *Auſonio* decantatæ, à *Tacito*, *Ammiano*, *Oroſio*, memoratæ; in *Ptolemæi* quoque *Geographia*, in *Antonini Itinerario*, in *Anonymi Ravennatis* indice, in *Tabulis Peutingerianis*, in *Notitia provinciarum*, locum habent; quum è contra, *Regulbii* in ſola *Notitia provinciarum* mentio fiat; quæ non ante *Theodoſii* junioris tempora deſcripta eſſe videtur: quis autem credat locum illum, tam magnitudine quam vetuſtate *Rutupiarum* æmulum, iis ſitu perquam vicinum, eidem uſui deſtinatum, caſtro atque urbe ſimillimum, abſque

que nomine, abſque fama, uſque ad *Theodoſii* tempora jacuiſſe. Suſpicionem meam de *Rutupiis* geminis certe auget tam altum de *Regulbio* ſilentium, cujus rei nulla probabilis ratio reddi poteſt, niſi quod caſtrum illud *Rutupiarum* olim nomine inclaruerit.

28. Quum hæc à me dicta neuter colloquentium improbare videretur, pergebam id narrare, quod de *Regulbio* haberet *Notitia provinciarum*: quæ quidem nihil aliud nos docet, niſi quod [1] "*Tribunus* cohortis primæ *Vetaſio-*"*rum* ibi in ſtationibus fuit." *Guidus Pancirollus*, qui eam commentario illuſtravit, pro *Vetaſiorum* conjicit legendum eſſe vel *Vetaraſiorum*, à *Vetaraſia Galliæ Belgicæ* urbe, vel *Vetuſiorum*, qui *Plinio* ſunt *Alpini Italiæ* populi. Quid autem in re clariſſima conjecturis opus erat? Sunt *Betaſii Galliæ Belgicæ* civitas, quorum meminêre [2] *Oroſius*, [3] *Plinius*, [4] *Tacitus*, &, ſi [5] *Beato Rhenano* fides, ipſe [6] *Cicero*. Eos litus *Rutupiis* proximum occupaſſe nos docet [7] *Oroſius* his verbis, " *Rhutupi* portus, haud "procul à *Morinis*, in auſtro poſitos *Menapios*,

1 Notit. Imperii Fol. 161. Venet. 1597. 2 Lib. 1 cap. 2. 3 Hiſt. Nat. IV. 17. 4 Hiſt. lib. 4. 5 Rerum *German.* lib. 2. 6 Ep. ad *Atticum* XIV. 10. 7 Lib. 1. cap. 2. edit. *Pariſ.* 1506.

"*Bataſio*ſque proſpectat." Eoſdem cum *Cæſaris Atuaticis* fuiſſe probat [1] *Cluverius*. Sed de *Vetaſiis* ſatis.

29. *Regulbium* juxta oſtium Aquilonare fluminis *Genlade* ſitum fuiſſe teſtatur [2] *Beda*; illud autem cum *Wantſumu* idem erat, niſi malitis eam hujus fluvii partem quæ verſus *Regulbium* tendebat, *Genlade*; alteram vero *Rutupias* verſus, *Wantſumu* vocatam fuiſſe. In codice MS. *Bedæ*, quem lubenter captata hac occaſione cito, quoniam in Bibliotheca Eccleſiæ D. *Jacobi* apud villam *Fauſtini* in *Icenis* conſervatur, in qua Eccleſia ego, te, æterne Deus, miſerante, ſacro fonte ablutus eram, in eo inquam codice fluvius hic *Ealande* dicitur, quaſi flumen inſulare, ſive quod inſulam facit: quo nomine à *Romanis* vocabatur neſcio, niſi id *Sarra* fuerit, quam *Anonymus Ravennas* inter *Britanniæ* fluvios recenſet: neque temeraria prorſus habenda eſt hæc conjectura, quum antiquiſſimus in inſulam trajectus etiam hodie *Sarra* nominatur. Sed *Regulbium* redeo, quod in litore ad mare declivi poſitum totum fere à mari abſorbetur: clivum quippe, cui impone-

1 *Germ.* Antiq. 11. 21. 2 Hiſt Eccleſ. 5. 9.

batur

batur, quum eo arenarum genere conſtet, quod [1] *Vitruvius* terroſum appellat, æſtus marini, quos Luna plena, præcipue ſlantibus ſeptentrionibus ventis, maximos ibi facit, facile exedunt, ſubrutumque crebris ruinis in ſubjectas undas dejiciunt: dejectum vis fluctuum reſolvit, & abluta parte terroſa, lateres, vaſa, nummi, & alia id genus gravia atque ſolida, recedente aqua comparent, & ab incolis colliguntur. Hujuſmodi eluvionibus jugera multa ſoli abſorpta ſunt, & adhuc indies abſorbentur: quod damno ſuo experitur honoratiſſimus vir *Jacobus Oxendenus* Miles & Baronettus, quem non tantum ob eam cauſam nomino, quod & tui, mi *Whartone*, amantiſſimus, & mihi ſuaviſſima amicitia conjunctus ſit; ſed quoniam grati animi eſt agnoſcere, in illius fundi ruinis magnam partem nummorum, quos cernitis, *Romanorum* repertam fuiſſe, & ad eum quaſi jure dominii pertinere.

30. Officio hoc perſoluto, in viam redirem, jubebat *Whartonus*; eaque narrarem, quæ frequenti inſpectione illic obſervâram. Ad id, inquam, me accingo; atque ita accipite: Æ-

---

1 De Architect. II. 4.

dificiorum

dificiorum *Romanorum* nihil nunc ſupereſſe præter caſtri veſtigia, quorum pars quaſi cuniculis actis à mari deturbata eſt; quod reſtat, talem tantamque habere cum caſtro *Rutupino* ſimilitudinem, ut ſive ſitum, ſive figuram, ſive fabricæ rationem ſpectetis, eoſdem conditores utrumque habuiſſe non dubitâritis. Eſt quoque in litore ædicula, quam, quoniam tota fere lateritia eſt, idque ex eo laterum genere quos *Romanos* vocamus, miramque præ ſe ferat antiquitatis ſpeciem, incolæ quaſi à *Romanis* conditam oſtentant. Verum non omnia ædificia in quibus iſtiuſmodi lateres apparent, pro *Romanis* habenda ſunt. Quis enim eccleſiam D. *Martini* paulo extra urbis noſtræ pomœria? quis ſacellum S. *Pancratii* in monaſterio D. *Auguſtini*? quis turrem eccleſiæ, quæ eſt in caſtro *Dubrenſi*? quis denique urbis noſtræ mœnia, quanquam lateres *Romanos*,

Omnibus in muris, & in omni turre rubentes,

oſtendant, à *Romanis* extructa eſſe credat? Annon enim in iiſdem ædificiis, poſterioris longe ſeculi indicia videmus, quæ eorum novitatem produnt, atque è ruinis ædium *Romanarum* conſarcinata & reconcinnata, non autem

ab

ab ipſis *Romanis* conſtructa fuiſſe teſtatur? Hic, quum me de laterum noſtrorum menſura interrogaret *Whartonus*, reſpondi illam variam atque incertam eſſe; plerumque tamen ad Νίδωες [1] *Plinianum*, quod longum erat ſeſquipede, latum pede, quam ad [2] *Vitruvianum*, quod longum pede, latum ſemipede erat, propius accedere: longitudinis enim in iis varietatem fere inter uncias XVIII. & XV. conſiſtere; latitudinem vero ubique tertia parte longitudine minorem. His conſentanea nos docent [3] *Barbarus* & [4] *Philander*, ſcilicet antiquos majoribus vel minoribus lateribus uſos, prout commodum videbatur: iis igitur aut otioſis ſatis, aut curioſis nimis eſſe licet, qui multum operæ atque diligentiæ in lateribus accurate dimetiendis inutiliter inſumunt. Pergo igitur: quum ante XV. annos clivi pars æſtuum impetu ſuffoſſa caderet, memini ingentis molis ſubſtructiones lateritias ſe in conſpectum dediſſe, in quibus erant cellulæ, fornicato opere excavatæ; eas dum manu perſcrutarer, fragmenta pavimenti teſſellati aliaque operæ *Romanæ* indicia vidi;

1 Hiſt. Nat. XXXV. 14. 2 Architect. II. 3. 3 Comment. ad *Vitruvii* II. 3. 4 In eundem *Vitruvii*. locum.

&

& vidi tantum, ſtatim enim poſt, neſcio an à fluctibus ſolutæ, an ab arenis hauſtæ,

—— *etiam hæ perière ruinæ.*

31. Solebas, inquit *Mauritius*, quoties in hos ſermones incidebamus, ciſternarum *Regulbinarum* mentionem facere; noli obſecro eas jam illibatas præterire. Ad illas, inquam, feſtinabam. Has, ut cætera in eo litore monumenta, in lucem profert impetus maris clivum demolientis. Hæc in iis, quas vidi, obſervavi; non eandem fuiſſe omnium capacitatem, eandem tamen figuram, ſcilicet quadratam; laterum ſingulorum longitudinem pedum x. vel XII. profunditatem æqualem lateri; quoad conſtructionis modum, fieri palis altius in terram impactis, quibus affixi aſſeres quernei, uncias duas craſſi, latera undique claudunt; fundum argilla tenaciſſima injecta & probe calcata firmari, ne aqua à ſtillicidiis influens à bibulis arenis hauriretur; eſſe denique iis vaſis non abſimiles, quibus in terram depreſſis alutarii noſtri utuntur. Hujuſmodi forte ciſternas in urbe noſtra repertas [1] *Somnerus*, quum quid eſſent ignoraret, propter ſimilitudinem, aluta-

1 De oſſibus *Charthamæ* repertis p. 5.

riorum

riorum vaſa appellat: idem quoque ſuſpicor factum eſſe de ciſternis [1] *Spaldingæ*, in agro *Lincolnienſi*, nuper inventis: quicquid autem de iis fiat, ciſternas noſtras *Regulbinas* aquis pluviis recipiendis conſervandiſque excogitatas fuiſſe, præter ſtructuræ rationem, uſus earum maxime neceſſarius ſatis indicat; nulli quippe in iſto agro fontes niſi ſubſalſi ſcaturiunt: qui ſi dulciſſimi eſſent, haud tamen à *Romanis* aquis pluviis anteponerentur; quas ob ſalubritatem præ cæteris [2] veteres laudabant: & quanquam [3] *Plinius* aliter & ſentire & diſputare videatur, agnoſcit tamen ciſternarum aquas ab aliquibus maxime probari.

32. Ego, inquit *Whartonus*, de aquarum pluviarum uſu atque præſtantia litem non moveo; mihi tamen haud perſuadebis palos aſſereſque ligneos annos ſupra MCCCC. poſſe durare. Illud, inquam, mihi quoque incredibile videbatur, donec ab [4] architectorum magiſtro edoctus eſſem, "quercum quum in operibus obruitur, infinitam "habere æternitatem," alnum item "in palu- "ſtribus locis, infra fundamenta ædificiorum pa-

1 Acta Philoſoph. N. 279. p. 1158. 2 *Vitruvius* VIII. 2. *Columella* de re ruſtica I. 5. *Palladius* de re ruſtica I. 17. 3 Hiſt. Nat. XXXI. 3. 4 *Vitruv.* II. 9.

"lationibus crebre fixam, permanere immorta-
"lem, ad æternitatem :" quod non temere dictum esse demonstrant arbores multis in locis effossæ ; quas à diluvio prostratas non solum vulgus, sed docti etiam viri autumant. Quum palos assereſque *Regulbinos* manu explorarem, quosdam firmissimos', imo in lapideam ferme naturam obduratos, deprehendebam; alios molles atque putridos, ita ut digito facile perforari possent: quod, quum ex eodem ligni genere non essent, propter materiæ dissimilitudinem accidisse reor. Harum cisternarum tanta multitudo nostra fere memoria comparuit, ut inde populi, qui locum incolebat, frequentia maxima fuisse probetur. Tum *Mauritius*, illud, ait, quod rei caput est, nondum attigisse videris; non enim liquet cisternas has à *Romanis* originem habuisse. Ego vero; quid aliud indicant, testantur, clamitant, Imperatorum *Romanorum* nummi, vasorum fragmenta figulorum nomine inscripta, strigilisque pulcherrima ; quæ, in iis reperta, vobis mox ostendam ?

33. Quum hic sermoni de *Regulbio* finem imponere vellem, id, inquit *Whartonus*, adhuc restat, ut illius nominis originem nobis aperias,

in

in qua inveſtiganda video viros doctrina inſignes turpiter hallucinari; quid enim pueriliter magis dici poteſt, quam quod dicit [1] *Joannes Twinus*, *Regulbium* quaſi *Reculſum* à *recello* derivandum? quam longe à vero aberrat [2] *Harriſonus*, vir diligentiſſimus, qui *Racwlfe*, ita enim fere in antiquis ſcriptis, idque recte, legitur hujuſce loci nomen, à *Raculpho*, neſcio quo Monaſterii fundatore, nomen traxiſſe vult? annon enim certum eſt Monaſterium id non à *Raculpho*, ſed à [3] *Baſſo* quodam conditum, fundumque, in quo ædificabatur, jam ante *Racwlfe* vocatum fuiſſe? [4] *Lambardus* noſter ſubodoraſſe nominis hujus originem videtur, dum eam à voce *Britannica racor*, quæ *antrorſum* ſignificat, accerſere conatur. Ego ex eodem fonte, ſed alia via, derivandum cenſeo. In ea lingua *rhag* idem valet quod *Latinum præ* vel *ante*; *gwylfa*, *ſpeculatum* ſive *excubias* denotat; hæc vocabula ſi conjunxeritis, habetis *rhagwylfa* ſive *ſpeculam anteriorem*; ſin pro *gwylfa*, *rhag* cum *goleu* componatis, erit *Rhaggoleu*, *lumen* ſive *luminare anterius*; quorum utrumque, præter ſoni ſimilitudinem, optime

1 De rebus *Albionicis*, p. 26. 2 Deſcript. *Britan.* p. 30. 3 Chronic. *Saxon.* ad A. D. 669. 4 Itin. *Cantii*, p. 207.

cum loci ſitu atque opportunitate convenit. *Regulbium* quippe prima omnium ſpecularum in litore *Cantiano* poſitarum ſeſe è *Thameſi* fluvio navigantibus oſtendit; unde jure merito *ſpecula anterior* dicitur: caſtrum quoque non ſolum apertum mare, ſed etiam *Thameſis* & *Medwægi* nobiliſſimorum fluviorum oſtia in conſpectu habet: quamobrem & ſpeculæ, unde hoſtium incurſus explorari poſſet, nec non etiam *Phari*, quæ nocturno igne ſublato nautis præluceret, vice fungebatur; quem uſum hodie præſtant geminæ turres Eccleſiæ, in ipſo caſtro poſitæ, ad tænias breviaque in *Thameſis* oſtio evitanda. Atqui totam de voce *Britannica* diſceptationem *Mauritio* judicandam relinquo; penes quem æquum eſt uti ſit jus arbitriumque linguæ ſuæ.

34. Ille vero, quanquam conjecturas meas amice probare videretut, nequivit tamen ſe continere, quin in has voces erumperet. Video vos in urbium, vicorum, fluviorum, montium, inſularum nominibus eruendis ſemper fere ad ſermonem *Britannicum* recurrere; ingrate igitur atque inique facitis, qui linguam noſtram, in re antiquaria & utilem & neceſſariam, non ſolum non excolere dignamini, ſed etiam

etiam contemnere ac deridere ſoletis. Quum reſponderem id fere ab indocto vulgo fieri; conticuit ille; non quia juſta atque legitima eſſet excuſatio noſtra; ſed quoniam, propter humanitatem ſuam atque urbanitatem, inceptum ſermonem nollet interrumpere. Atque hæc hactenus de *Regulbii* nomine; non enim opus eſt vos monere, locum hunc in *Saxonum* ſcriptis, propter caſtrum, *Raculfceſter*; propter Monaſterium autem, *Raculfminſter* dictum fuiſſe.

35. Si placet igitur, inquit *Whartonus*, ſermonem alio transferamus; & quoniam memini ſolere te antiquitatis palmam, quoad rem *Romanam*, omnibus aliis *Britanniæ* locis præreptam, *Rutupiis* tuis dare, quamobrem ita facis, hic apte inquiri poſſe puto. Recte, inquam; rationes ergo, quibus in eam ſententiam adductus ſum, lubenter reddam. Quum de generis vetuſtate *Ægyptios* inter *Scythaſque* contentio eſſet, *Ægyptii* clementiam cœli, ſolique ſui fœcunditatem deprædicantes, dicebant, "[1] Jure ibi primum homines natos videri "debere, ubi educari facillime poſſent:" &

---

1 *Juſtini* Hiſt. 11. 1.

quan-

quanquam ſors natalis non in eorum qui naſcuntur poteſtate, vel delectu poſita ſit, ſed à *Deo O. M.* ſingulis decernatur; quum tamen de iis rebus agitur, quæ conſilio, judicio, prudentia regi ſolent, iſtiuſmodi argumentatio plurimum valere debet. Verbi cauſa, quis dubitat *Romanos* in inſulam noſtram trajicientes, ea loca primo occupaviſſe, non quæ ſors offerebat, ſed quæ rebus ſuis maxime opportuna fore judicabant? quid autem portu *Rutupino* opportunius *Romanis*? illò etenim milites è *Gallia* brevi navigatione tranſmitti, ibi tuto exponi, ibi, ſi premeret hoſtis, expeditum receptum habere potuerunt. Erat in vicinia *Tanatis* inſula frumentationi valde idonea; erat ipſe portus ex eorum numero quos [1] Græci ἀμφιδύμους vocant, utrinque aditus habens, & quolibet fere flante vento, tuto ſubeundus: in eum fluvius *Stura*, urbem hanc noſtram *Doroberniam* perlapſus, influit, vehendis ad nos mercibus adhuc utilis. His commoditatibus allecti *Romani* è *Galliis* huc adnavigantes, eo præcipue portu uſi ſunt.

36. Illud, inquit *Whartonus*, tibi ultro lar-

---

1 Vide *Favorinum*.

gimur,

gimur, *Cantianum* litus etiam ante *Cæſaris* adventum mercatoribus *Gallis* & notum & frequentatum fuiſſe, ipſo [1] *Cæſare* id aperte innuente. Tu vero inique facere videris, qui totam antiquitatis laudem ad *Rutupias* tuas pertinere contendis, quum in eodem litore ſint *Dubris* atque *Lemanis* portus celeberrimi. Agnoſco, inquam, *Dubris* atque *Lemanis* nomina in *Antonini Itinerario* occurrere; quis autem ea loca cum *Rutupiis* conferenda cenſet, quæ in eodem *Itinerario* quaſi κατ' ἐξοχὴν *Britanniarum portus* vocantur; & quibus inclinantibus, *Dubrim* demum florere cœpiſſe recte judicat [2] *Somnerus* noſter? Rem verbo dicam; *C. Jul. Cæſarem* tam propter aſſiduos belli motus, quam propter brevitatem moræ in inſula noſtra, nulla præter tumultuaria, id eſt, è ceſpite & terra conjecta caſtra reliquiſſe certum eſt; quamvis credulum atque indoctum vulgus eum omnium fere, quotquot ſunt in *Britannia*, caſtrorum autorem atque conditorem deprædicet. Sub *Auguſto Tiberio*que Impp. nihil hic tentatum; *C. Caligula* ridendo belli apparatu, & conatu magno, nihil prorſus egit. *Claudius* de-

---

1 De bello *Gallico* IV. 20. 2 De portubus &c. p. 33.

num,

mum, inſtigante *Berico*, populari, ut [1] *Quercetanus* putat, [2] meo, *Aulo Plautio* duce, Auſtralem inſulæ partem in ditionem ſuam redegit; quod bellum incidit in annum ab *U. C.* DCCXCVI. à *Chriſto* autem nato XLVII. Eo tempore *Rutupias* à *Romano* milite primò obſeſſas, occupatas atque præſidio impoſito munitas fuiſſe cenſeo; quod ſi vel ab ipſo *C. Cæſare*, vel à quolibet alio belli duce ante *Claudii* tempora factum fuiſſet, non opus eſſet [3] *A. Plautio*, in *Britanniam* cum exercitu trajecturo, copias ſuas in tres partes dividere, ne uno loco appellentes litore prohiberentur: neque potuit illud non ſtatim atque principio à *Plautio*, callido ac ſapiente imperatore, fieri; cui in interiora inſulæ penetranti, ejuſmodi opportunitate tam ad excipienda è *Gallia* auxilia, quam ad providendum receptui locum, ſi quid in bello minus proſpere accideret, maxime opus erat. Habetis origines *Rutupinas* ab ipſo fonte derivatas; niſi malitis eas altius ab ipſo *Cæſare* repetere; quem in oſtio hujuſce portus exſcendiſſe nonnulli volunt.

37. Quandoquidem, ait *Whartonus*, video

---

1 Hiſtoriæ *Anglic.* p. 209. 2 Viz. in Icenis nato. 3 *Dion Caſſius* Hiſt. *Rom.* LX.

nos

nos in hanc disputationem sensim delapsos esse, audiamus paucis, quid in utramque partem de ea re à viris doctis dici solet. Respondi, audituros, modo aures attentas darent. Illud autem imprimis moneo, omnes fere consentire, in litore *Rutupino*, sive *Rutupias* inter atque *Dubrim*, exscensionem hanc factam fuisse; de loco dissentire: his *Delano* litori, illis *Rutupini* portus ostio illam vendicantibus: eos, qui pro *Dela* contendunt, autoritate *Cæsaris* se tueri, [1] qui narrat "se ab illo loco, quem ad "egrediendum nequaquam idoneum arbitraba-"tur, progressum circiter millia passuum VIII. "aperto ac plano litore naves constituisse:" quam quidem distantiam *Delæ* aptius quam *Rutupiis* convenire omnes norunt. Ego vero etiamsi *Cæsaris* autoritati plurimum esse tribuendum censeam, eam tamen non usque adeo sacrosanctam esse existimo, ut de ea aliquando dubitari non possit: certe [2] *Philippo Cluverio* religioni non fuit maximum Imperatorem, qui in bello errare non consuevit, in dimensionibus tamen terrarum insulæ nostræ erroris coarguere. Ego igitur *Delæ* propugnatoribus hæc ob-

1 De bell. *Gall.* IV. 23. 2 *German.* Antiqu. II. 38.

jici poſſe reor; ſcilicet non eſſe conſtantem hujus numeri VIII. milliarium apud *Cæſarem* lectionem: dein gratis id dici, *Cæſarem* in *Dubrinum* portum, quum primo huc accederet, appellere voluiſſe; quum alia ſint in illo litore loca non minus quam *Dubris* aggreſſu difficilia propter mirificas moles, quibus aditus inſulæ munitos eſſe teſtatur [1] *Cicero.* Quis denique non videt, *Cæſarem* propter ignota litora navigantem, vento æſtuque ſecundo delatum, quorum momenta ſuos ignorâſſe confitetur, longius forte quam putârat provectum, in calculo ſubducendo errare potuiſſe? præſertim id vobis, viris eruditis, minime mirum videbitur, quibus ſatis perſpectum eſt, antiquitas quam rudis fuerit in itineribus maritimis dimetiendis, quamque parum accuratam rationem eorum tenuerit.

38. Nemo [2] *Halleyo* noſtro de tempore, quo *Cæſar* in *Britanniam* appulit, docte magis atque exquiſite diſſerit; de loco autem, ad quem factus eſt appulſus, diligenter ſatis, ſed minus fæliciter diſputat: quippe quum exſcenſionem *Cæſaris* in [3] *Dunis* quas vocant factam fuiſſe

1 Epiſt. ad *Atticum* IV. 16. 2 Acta Philoſophica. N. 193. 3 The Downes.

con-

contendit, ad illud probandum *Dionem Caſſium* teſtem adducit, cujus ego verba *Latine* reddita vobis legam, quoniam in hac quæſtione maximi momenti eſſe videantur: [1] is autem rem ita narrat: "*Cæſarem*, quoniam *Britanni*, fa-"ma adventus ejus accepta, omnes ad egredien-"dum idoneos locos ante ceperant, promonto-"rium quoddam in mare procurrens circum-"vectum, ex altera parte terræ acceſſiſſe, ibi-"que hoſtes in paludibus exercitum deponenti "occurrentes fudiſſe, terramque occupaviſſe." Hæc, inquam, *Latine* cito, quoniam dum ita facio, *Dionis* autoritati [2] doctiſſimorum interpretum judicium accedere videtis. Caput controverſiæ eſt in eo, ut intelligamus quid τὰ πελάγη ſignificent. Interpretes *paludes* reddunt: *Halleyus*, *arenas maris affluxu madefactas*. Quare ita reddiderit, in promptu cauſa eſt; non erant in eo loco, ubi ille exſcenſum factum eſſe vult, paludes, ſed arenæ tantum: at enim tota, ut puto, reclamante Græcia, iſtam ſignificationem verbo τέναγος affingit. [3] *Ariſtoteles* hæc duo ἀμμώδες & τεναγώδες diſtinguit. Do-

---

1 Hiſt. *Rom.* lib. 39. 2 *G. Xylandri & Jo. Leunclavii.* 3 Περὶ ζώων ἱστορίας v. 15.

ctiſſimus Scholiaſtes ad illud [1] *Apollonii Rhodii*

Πάντῃ δὲ τέναγος. ——————

τέναγος, inquit, ὁ πηλώδης τόπος. [2] *Plutarchus*, *Scævæ* facinus in *Cæſaris* exſcenſione editum narrans, ait, id ἐν τόπῳ ἑλώδει καὶ μετ' ὕδατος, & juxta ῥεύματα πηλματώδη, ſive *fluenta limoſa*, patratum fuiſſe: quæ quidem mihi non obſcure ſubindicare videntur fuiſſe in loco, ubi pugnatum eſt, fluvium ſive fluenta limoſa, qualia in *Delano* litore vix reperies; illic enim arenæ tantum, quibus nihil ſtabilius & ad firmiter inſiſtendum commodius eſſe poteſt, quamobrem etiam in theatris ſpargi ſolent. *Dionis* jam deſcriptionem, (quæ cum *Cæſaris* narratione, quoad litoris naturam, aperte pugnat,) cum oſtio portus *Rutupini* conferamus. Erat ibi promontorium; illo circumnavigato aperit ſe portus, qualem requirebat [3] *Cæſar*, *ad majorum navium multitudinem idoneus*. Erat ibidem litus, ut in oſtiis fluviorum eſſe fere ſolet, paludoſum atque limoſum, in quod deſiliens miles *Cæſarianus* [4] *firmiter inſiſtere* non potuit: erant in eodem promontorio *Cæſaris* caſtra navalia, niſi *Plottum* noſtrum conjectura fefellit,

1 *Argonautic.* IV. 1237. 2 In vita *Cæſaris*. 3 De bello *Gallico* IV. 20. 4 De bello *Gallico* IV. 26.

qui

qui ſe eorum veſtigia ibi deprehendiſſe, mihi non ſemel narravit. Perdiu, multoſque ante *Flottum* annos [1] *Darellus Cantianus*, vir antiquitatis peritiſſimus, "caſtrametatum eſſe *Cæſarem* "in promontorio *Rutupino* cum ſuis, atque in- "de locum *Caſtrum Cæſaris* dictum fuiſſe" ſcripſit. Quomodocunque vero res ſe habet, ego illud monendum cenſeo, promontorium à *Cæſare* circumnavigatum non eſſe *Peperneſſam* hodiernam†, quæ tunc temporis à mari occupata, nunc tandem recedentibus undis comparet; ſed potius extremum litoris terminum, quocunque loco is erat, quocunque nomine notus, qui portum *Rutupinum* ſubeuntibus à ſiniſtra fuit, & nunc fortaſſe mare è longinquo proſpicit.

39. Quum ambos in ſententiam meam facile tranſituros viderem, ſic pergebam: harum opinionum quænam plures habeat fautores, plane incertum eſt; "*Cæſarem* in *Dunis* terram "conſcendiſſe, omnium pene conſenſu," ait [2] *Somnerus*. "Locum in quem *Cæſar* appulit "vulgo apud *Richburrow* aut *Sandwicum* ſta- "tui," aſſerit [3] *Carolus* à *Fraxinis*. Superva-

1 MS. in Bibliotheca *Cottoniana*, *Veſpaſ.* A. 5. 2 De portu *Iccio* p. 50. 3 De portu *Iccio* p. 101. † Vide Tab. 1.

canea

canea eſt, inquit *Whartonus*, iſta quæſtio, quandoquidem nobis non teſtium numero, ſed argumentorum pondere agendum eſt: illud tamen à *Mauritio* ſcire velim, quo loco popularium ſuorum *Nennii* atque *Galfridi Monemuthenſis* autoritas habenda ſit; quorum [1] ille "*Cæſarem* in oſtio *Tameſis*," [2] hic autem nunc "in oſtio *Tameſis*, nunc in ipſo *Rhutupi* portu," applicuiſſe vult? Pungebat *Mauritium* interrogatiuncula hæc, quia Scriptorum *Britannicorum* cum fidem tum judicium elevare videbatur; nihil tamen acrius reſpondit, quam illorum autoritatem non uſque quaque aſpernandam eſſe; non enim omnia ab illis temere dici aut confingi, videri autem in hac narratione neque ſecum neque cum *Cæſare* convenire. Bono, inquam, es animo, *Mauriti*; oſtendam enim, illos & ſecum, & cum *Cæſare* ſatis convenire; eſſe ſcilicet *Rutupias* ipſas, totumque litus *Rutupinum* uſque ad *Dubrim*, in *Tameſis* fluvii oſtio. Mirabilem hanc ſententiam juſſus explicare, dicebam oſtia fluviorum terminos habere, alios à natura præfinitos, alios hominum arbitrio, loquendi uſu, atque dominii

---

1 Hiſt. *Britan.* cap. 14, 15. 2 Hiſt. *Britan.* IV. 3. 7.

jure,

jure, conſtitutos: [1]"*Londinenſes*, ſuperiore ſe-"culo, jus ſibi in fluvio *Tameſi* uſque ad *Re-*"*gulbium* aſſeruiſſe." [2]*Polychronici* autorem "*Tameſin* apud *Sandicum portum* labi in mare "orientale". *Malmsburienſem*, "*Tameſim* ultra "*Londinum* plus LXX. milliaria nomen profer-"re, atque apud *Doveram* pelago condi," tradere. Iter maritimum a *Dubri Londinum*, prout nunc extra *Tanatim* navigatur, LXXX. milliarium eſſe à peritiſſimis nautis accepi. Illud ſi interiori curſu per portum *Rutupinum*, quod tunc fiebat, inſtituatur, *Malmsburienſis* calculo reſponderet, eumque nec inconſulte nec fortuito ita ſcripſiſſe demonſtraret.

40. Nihil, ait *Mauritius*, amplius reſtat, quam ut ſententiam tuam, tam de loco, à quo *Cæſar* ſolvebat, quam de eo in quem appulit, nobis declares. Dixi, mihi quidem videri, illum *Geſſoriaco* ſolventem, portum *Rutupinum* ſubiiſſe. Inde ſolviſſe, tam [4]*Cæſarem* ipſum quam [5]*Strabonem* narrare: fruſtra illos laborare, qui *Itium* à *Geſſoriaco* avulſum alio transferre conantur: fuiſſe *Cæſaris* iter maritimum ab *Itio* in *Britan-*

---

1 *Stowêus* in *Lond.* p. 44. 2 Lib. 1. p. 196. 3 De geſtis *Pontif.* lib. 11. 4 De bello *Gall.co* v. 2. 5 Geogr. lib. IV. p. 305. edit. Amſt 1707.

niam

niam milliarium xxxx. ita enim in melioris notæ codicibus legi, eamque lectionem à [1] viris doctiſſimis probari, atque à *Strabone* luculentiſſime confirmari: qui *Cæſaris* in *Britanniam* navigationem ſtadiorum cccxx. ſive milliarium xxxx. fuiſſe ſcribit: denique, quod rei caput eſſe videtur, quodque à naucleris valde expertis edoctus ſum, veram diſtantiam inter oſtium portus *Rutupini* atque *Geſſoriacum*, ſive *Bononiam*, eſſe xxxx. milliarium.

41. Propter frequentem è *Galliis* in inſulam noſtram tranſitum à *Geſſoriaco*, dictus eſt ille locus [2] *portus Morinorum Britannicus*; neque enim alium habuiſſe videntur: propter uſitatiſſimum ad *Rutupias* appulſum, vocantur illæ, quaſi alius non eſſet mentione dignus, [3] *portus Britanniarum*: & quemadmodum temporibus illis nihil apud nos *Rutupiis* noſtris celebrius, ita nec *Morinis* quicquam *Geſſoriaco* ſuo notius fuiſſe tradit [4] *Pomponius Mela*. Non illud diſſimulabo, *Antonini Itinerarium* diſtantiam inter *Geſſoriacum* & *Rutupias* ſtadiorum cccclꝛ. ſtatuere; idem [5] *Dionem Caſſium* facere: [6] *Pli-*

---

1 *Iſ. Caſaubon.* in *Strabonis* lib. iv. *Jo. Jac. Chifflet.* de portu *Iccio* cap. vi. *Merulæ* Coſmograph. part. ii. lib. iii. p. 228. 2 *Plinii* Hiſt. Nat. iv. 23. 3 *Antonini Itin.* 4 Lib. iii. c. 2. vide & *Flori* i. ii. 5 Hiſt. *Rom.* xxxix. 6 Hiſt. Nat. iv. 16.

nium



In hâc Tabulâ Litorum terminos, & Acûs nauticæ situm ex Halleyanâ Chartâ desumpsimus, quæ eundem fere Latitudinis gradum Promontorio Septentrionali (sive Ptolemæi Cantio) Toliapi & Londino tribuit, & Rutupias Regulbinas non longè infra meridiem versus ponit; quod Ptolemæi calculo autoritatem addit, qui hisce omnibus Latitudinis gradum 54 assignat.

Scala Milliarium Halleyana.

5 10 15 20 25 30

Rutupiæ
Regulbium
Portus Iccius
Promontorium Septentrionale
Margate
Tanatis
Ramesgate
Chistrlet
Rutupiæ
Sandwicum
Iullaber vulgo Laberij Tumulus
Dela
Stura minor
Promont. Australe
Vicus D. Margaretæ
Dubris
Folcstana
Lapis appositus in ultimo terræ Stone-end
Dungeneß
Dunkirk
Mardicum
Gravelinga
Caletum
Sangate
Witsan
Marquijé
Ambleteolum
Portus Iccius
Geßoriacum Bononia
Portetum
Stapulæ
GALLIÆ
Audomaropolis
BELGICÆ
Pars.
MORINI
Mensuræ Morinis ab Oriente ortæ.
AMBARD Arm
in Com. Cantij
m Comitatûs
inorum Litoris
ULAM
D.D.
ttely.
OROMAN SACI

nium Britanniam à *Geſſoriaco Morinorum* gentis litore proximo trajectu L. milliarium minimum: [1]*Diodorum Siculum* ſtadiorum non amplius c. Quis autem ex iis, quæ à me jam dicta ſunt, non videt in his numeris turpiter errari; omnemque diſputationem hac varietate innixam & ſubtilem nimis, & ſupervacaneam eſſe? quorſum enim *Britanniam* L. vel amplius milliaria à continente ablegari, quum *Cæſar*, ſuffragante *Strabone*, commodiſſimum *Galliæ* portum à portu celeberrimo *Britanniæ* non longius XXXX. milliaribus abeſſe narret? Taceo pueriles, abſurdas, immanes vocum notationes, nominumque confictiones, vel ipſa *Legenda aurea* dignas, quibus viri alioquin graves atque docti ſcripta ſua de hac re turpiter dehoneſtârunt. Pergamus igitur his prætermiſſis: poſt *Julium Cæſarem*, *Claudium* à *Geſſoriaco* portu tranſmiſiſſe teſtatur [2]*Suetonius*; *Veſpaſianum* à *Claudio* miſſum, portumque *Rutupinum* intrare volentem, ab *Arvirago* prohibitum [3] tradunt. *Agricola* in *Britanniis* agente, *Romanam* claſſem portum *Trutulenſem* ſive *Rutupinum* tenuiſſe, narrat [4]*C. Tacitus*;

1 Hiſt. lib. IV. pag. 30. 2 In *Claudio* XVII. 3 *Galfridus Mon.* IV. 16. *Matth. Weſtm.* ad A. D. 52. 4 In vita *Agricolæ*.

citus; *Lupicinum* magiſtrum armorum, huc ſub *Conſtantio* miſſum, *Bononia* ad *Rutupias* ſitas ex adverſo delatum, ab [1] *Ammiano Marcellino* diſcimus: ab [2] eodem docemur, *Theodoſium*, tranſmeato lentius freto, à *Bononiæ* litore *Rutupias*, ſtationem ex adverſo tranquillam, veniſſe: verbo dicam, *Romanos* toto illo tempore, quo inſula noſtra potiti ſunt, in ſolum portum *Rutupinum* applicuiſſe, & niſi tu, *Whartone*, alium monſtras, quod ſodes te facere velim, concludo *Cæſarem* ibi exſcendiſſe, alioſque poſt *Cæſarem*, illius exemplo ductos, eodem loco appuliſſe. agnoſco alios portus tum fuiſſe in *Britanniæ* noſtræ litore, ſcilicet [3] *Dubris*, *Lemanis*, [4] *Adurni*, [5] *Setantiorum*, portus *Magnum* atque *Novum*; de quibus in hiſtoria *Romana* nihil, præter nuda nomina, occurrit.

42. Tum *Whartonus*, ſatis inquit *Rutupiis* noſtris præcipuam antiquitatis laudem jam inde à primo *Romanorum* in *Britanniam* ingreſſu aſſeruiſti; nunquid autem non tibi videntur etiam ante *Cæſaris* adventum claruiſſe? Reſpondebam ita eſſe; originesque *Rutupinas* ab

1 Hiſt. xx. 1. 2 Hiſt. xxvii. 8. 3 *Antonini Itinerar.* 4 *Notit. Provinciarum.* 5 *Ptolemæi* Geogr.

ipſius

ipſius mercaturæ in hac inſula origine accerſendas, idque tam propter portus commoditatem, quam ob *Gallici* litoris vicinitatem; neque potuit locus mercatorum uſibus adeo opportunus non ſtatim occupari. Nemo ſaltem negabit fuiſſe *Rutupias* inter civitates maritimas, quas à *Caſſivellauni* finibus flumen *Tameſis*, [1] teſte *Cæſare*, dividebat. Hic me interpellans *Whartonus*, tu vero, inquit, parum *Latine* atque accurate loqueris, qui *urbem* ſive *oppidum*, *civitatem* appellas, quod nunquam in aurea illa linguæ *Romanæ* ætate, præſertim à *Cæſare*, factum eſt; quum *civitas* non ſit locus ſive ædificia, ſed concilium cœtuſque hominum jure ſociatus: quod quum à ſcriptoribus noſtris antiquis non ſatis animadverſum atque obſervatum eſſet, cœperunt *Galfridus Monemuthenſis*, aliique, *Cæſaris civitates* in *urbes* convertere, inſulamque noſtram quamvis non [2] Ἑκατόμπολιν, tamen Πολύπολιν facere: nôſti vero quam feliciter [3] *Wigornienſis Epiſcopus*, fictitias has civitates aggreſſus, uno ictu omnes funditus delevit.

---

1 De bello *Gallico*, v. 11. 2 *Creta Hecatompolis* dicta. 3 De vera *Londini* Antiquitate.

43. Mihi, inquam, non in animo eſt eas inſtaurare atque reſtituere; multo minus optimi *Præſulis* manes laceſſere; ſed iis, quæ modo à te dicta ſunt, qua poſſum brevitate, reſpondere. *Cæſarem* nuſquam *civitatem* pro *urbe* uſurpare facile concederem, niſi [1] unus obſtaret locus: "*Romani* vero quid petunt aliud, "aut quid volunt, niſi invidia adducti, quos "fama nobiles, potenteſque bello cognoverunt, "horum in agris civitatibuſque conſidere, at- "que his æternam injungere ſervitutem?" ſed nolo de hoc loco litem movere; illud tamen conſtanter affirmo, purioris ævi latinitatem *civitatum* nomine *urbes* vocâſſe: extare quippe *Tiberii* nummum ſic inſcriptum [2] CIVITATIBUS ASIAE RESTITVTIS: quod de urbibus *Aſiæ*, quas terræmotus diruerat, intelligendum eſt: *Vitruvium*, civitatem ubique fere pro urbe uſurpare: [3] *Verrium Flaccum*, inſignem Grammaticum, qui "ab *Auguſto* nepotibus ejus præ- "ceptor electus, tranſiit in *Palatium* cum to- "ta ſchola," quemque nefas eſt putare cum plebe locutum: illum tamen "[4] civitatem, & "pro loco, & pro oppido, & pro jure quoque

1 De bello *Gallico* VII. 77. 2 *Occo.* pag. 65. 3 *Suetonius* de illuſtribus Grammaticis. 4 *A Gellii* noct. *Attic.* XVIII. 7.

"omnium,

"omnium & pro hominum multitudine," ſumendam eſſe docuiſſe: immerito igitur me reprehendit *Whartonus*, quod poſt tantos autores eodem loquendi jure atque libertate uſus fuerim. Nullas fuiſſe in inſula noſtra urbes ante *Romanorum* adventum nuſquam dicit *Cæſar*; rem potius ita narrat, ut ſuſpicionem non levem lectoribus ſuis injiciat, urbes ſe hic reperiſſe: [1]ait enim "hominum eſſe infinitam mul-"titudinem, creberrimaque ædificia fere *Gal-*"*licis* conſimilia; [2]ex his omnibus longe eſſe "humaniſſimos, qui *Cantium* incolunt; (eam "regionem eſſe maritimam omnem) neque "multum à *Gallica* differre conſuetudine." *Gallorum civitates* urbes ſuas habuiſſe quis dubitet, quum legat [3]uno die amplius viginti urbes *Biturigum* incenſas fuiſſe? quis autem credat civitates *Britannicas*, cætera *Gallicis* perſimiles, urbes non habuiſſe? Oppida habuiſſe agnoſcit [4]*Cæſar*; oppidum vero urbemque quid interſit docet nos [5]*Varro*, oppida ſcilicet, quæ prius erant circumducta aratro, ab orbe & urbo, *urbes* appellari; unde fit, probatiſſimos au-

1 De bello *Gallico* v. 12. 2 Ibidem cap. 14. 3 De bello *Gallico* VII. 15. 4 De bello *Gallico* v. 21. 5 De Lingua *Latina* lib. IV.

tores

tores iis vocibus promiſcue uti; [1] *Cæſarem Aleſiam* & oppidum & urbem vocare, *Biturigum*que oppida urbium nomine inſignire; [2] *Ciceronem* ita loqui, "*Pheræ* urbs in *Theſſalia*, "in eo oppido" &c. "Ejuſmodi conjunctio-"nem tectorum, oppidum vel urbem appella-"runt." Ego de omni hac controverſia ita ſentio, fuiſſe in *Britannia* ante *Romanorum* ingreſſum ſive urbes ſive oppida, fortaſſe non quales [3] Hiſtorici noſtri fingunt atque deſcribunt, muris, turribus, portis, ſeris inſtructas firmiſſimis: at ſaltem tales, in quibus conventus habere, contra hoſtium incurſiones ſe tutari, atque mercaturam commode exercere poſſent, quaſque ſe hic reperiſſe agnoſcit *Cæſar*. Inter has urbes ego *Cantianis* maritimis, *Rutupiis* præſertim, vetuſtatis primas defero, eodem argumento, quo [4] *Salluſtius Libyas* mature oppida habuiſſe probat, quod freto diviſi ab *Hiſpania*, mutare res inter ſe inſtituerant.

Ut *Rutupias* illuſtrant externa antiquorum ſcriptorum teſtimonia, ita *Regulbii* vetuſtatem

---

1 De bello *Gallico* VII. 68. VII. 14, 15. 2 De divinatione I. 25. & Fragm. ex libris de Repub. p. 338. & Orat. pro *Sexto Roſcio* cap XVIII. 3 *Beda* in Hiſt. Eccl. gentis *Angl.* I. *Gildæ* Hiſt. pag. 9. 4 De bello *Jugurth.* p. 77.

ſimam

clariſſimam facit interna tot monumentorum ibi erutorum fides; quid enim aliud quam ſummæ antiquitatis indicia certiſſima ſunt, denarii conſulares; Imperatorum fere omnium à *J. Cæſare* uſque ad *Honorium* nummi; *Tiberii, Neroniſque* ænei, aſperi, & quaſi ex officina monetaria calentes; quos, in litore *Regulbino* repertos, penes me aſſervo? quid aliud, inquam, indicant, quam *Romanos* hoc loco principio conſediſſe; illumque, quamdiu in hac inſula commorati ſunt, coluiſſe; nummoſque illos aſperos, priuſquam longo uſu triti ſplendeſcerent, ibi vel caſu relictos, vel conſulto defoſſos fuiſſe?

44. Novum, inquit *Whartonus*, dicendi campum video te aperire; in quo ut curſus quam minime impeditus ſit, obex, in ipſo ingreſſu poſitus, amovendus eſt. Tu ſcilicet ab aſperis *Tiberii Neroniſque* nummis, ibi inventis, *Regulbii* ætatem colligere vis, quaſi vel illis imperantibus, vel paulo poſt, floruerit: id autem minime ſequitur, quoniam diu poſt illorum tempora recondi poterant. Aiebam, illud quidem accidere potuiſſe; multo tamen probabilius videri, eo tempore apud terram depoſitos fuiſſe, quando illorum Imperatorum autoritate, quo-

quorum ſacros vultus gerebant, valorem habebant, ſive, ut recentiores Juriſconſulti loqui amant, *currentes* erant: quorſum enim tunc recondi, quum in uſu eſſe deſiiſſent? illud præſertim ſi verum ſit, quod à rei nummariæ peritiſſimis viris vulgo traditur, ſcilicet [1] "Impe-"ratorum *Romanorum* nummos, poſt eorum "exceſſum breviſſimum curſum habuiſſe, neque "valuiſſe, niſi eſſent conflati, atque denuo re-"cuſi:" illud autem vobis judicandum relinquo, & ad ea pergo, quæ ex ordine, diſpoſitione, numero, aliiſque circumſtantiis nummorum repertorum legitime concludi poſſunt; nempe ſi in olla concluſi, vel acervatim cumulati occurrant, tempore eodem terræ commendatos fuiſſe; illud autem tempus illorum ultimum proxime denotare: exemplo eſſe poteſt [2] effoſſus nuper in agro *Venetico* ingens theſaurus quinquaginta millium nummorum *Romanorum*, vaſis fictilibus incluſorum, quorum noviſſimus quum *Gallieni* eſſet, nemo ſanæ mentis dubitaverit ipſo imperante defoſſos fuiſſe; qui enim fieri potuit, ut in tam immani acervo, ne unus quidem compareret eorum, qui *Gallieno* ſuc-

1 *Walkerus* in Hiſtoria *Græca* & *Rom.* è nummis illuſtrata, p. 15. 2 Journal des Scavans A. D. 1681. p. 280.

ceſſerunt,

ceſſerunt, quum in more eſſet illis ſtatim poſt acceptam, ſive arreptam, purpuram nummos cudere. Quod ſi iſtiuſmodi theſauri in caſtrorum ſtativorum, urbium, ſive oppidorum ruinis ſparſi, disjecti, & quaſi diſſeminati, frequentes jaceant, tum ad eorum ſeriem attendendum eſt; quæ ſi ab initio rerum apud nos *Romanarum* incipiat, & prope continuata ad earundem inclinationem decurrat, ſummam loci vetuſtatem demonſtrat, & principio occupatum fuiſſe indicat; atque hoc indicium ad *Regulbium* noſtrum pertinere quis non videt?

45. Me, in hunc ſermonem de nummis delapſum, interpellavit *Mauritius*, rogans ut illud explicarem, quod ab omnibus fere quæſitum atque diſputatum audiret, ſcilicet unde tanta numiſmatum *Romanorum* in *Britannia* relictorum copia? multas illius rei cauſas afferri, quæ prorſus improbabiles videantur; quemquamne etenim ſibi perſuadere poſſe, tot tantoſque theſauros, ad perpetuandam iſtius populi memoriam in terra abſconditos, poſt multorum ſeculorum decurſum iterum, ſi fors daret, in lucem protrahendos? ob eandem gloriolam nummos in ædificiorum fundamentis jactos? Sed eſto hæc probabilis ratio eorum, qui in ſub-

ſtructionibus & murorum cæmento aliquando apparent; quid de iis dicendum eſt, qui in agris arviſque, ubi nulla ſunt ædium veſtigia, inveniuntur? Gentem orbis Dominam tam præſenti nominis ſui famæ, quam memoriæ æternitati ſtuduiſſe, nemo dubitaverit: illud autem operibus publicis, ædificiis magnificis, trophæis, arcubus triumphalibus, theatris, columnis, munitionibus, viis ſtratis, & ſimilibus moliti ſunt, quæ & præſentes admiratione, & futuros veneratione, percuterent. Hæc poſt juſtitiam, fortitudinem, cæteraſque virtutes certiſſimam fore gloriæ ſementem recte judicavit gens omnium prudentiſſima, non æreorum aliquot ſparſionem, qui quamvis ex materia perennitatem quandam habeant, dum tamen in terra latent, nec dominis nec aliis laudem afferunt: quum è contra, palatiorum, ædium, templorum, aquæductuum, pontium vel ipſa rudera atque reliquiæ, & ſemper in oculos mortalium incurrant, & neſcio quid tam grande & magnificum oſtentent, ut vix patiantur nos credere humile aliquid ſive anguſtum atque parvum in ea gente unquam fuiſſe; ita enim natura comparati ſumus, ut de non apparentibus ex iis, quæ videmus, ſemper fere judicemus.

46. Recte,

46. Recte, inquam, *Mauriti*, cenſes; ſed neque [1] illi nodum hunc ſatis expediunt, qui aut militem à *Magno Maximo* in *Galliam* mox abducendum, aut *Britannos*, ad ſuppetias contra *Scotos Pictoſque* impetrandas *Romam* profecturos, hos theſauros ſepeliviſſe volunt: illud etenim ſi verum ſit, ſolum ad poſtremos *Romanorum* nummos pertinere quis non intelligit? alia igitur explicatione ad enodandam hanc quæſtionem opus eſt; quam ſic, ſi vultis, accipite. Narrat [2] *Spartianus*, "juſſiſſe *Peſcen-*
"*nium Nigrum*, ne in zonis milites ad bellum
"aureos vel argenteos nummos portarent; ſed
"publice commendarent, recepturi poſt præ-
"lia quod dederant, ne ad hoſtes aliquid præ-
"dæ perveniret, ſiquid forte adverſi fortuna
"feciſſet." Antiquam hanc diſciplinam militarem, & diu ante *Peſcennii* tempora in deſuetudinem abiiſſe, nec, ab eo revocatam, diu permanſiſſe reor; quin potius morem obtinuiſſe, ut quilibet miles, ſive in bellum profecturus, ſive in aciem educendus, pro libitu ſuo res ſuas ſecum portaret; aut, quo vellet loco, occultaret. Poſterius hoc ab exercitu *Romano* in inſula no-

1 Chron. *Saxonic.* A. D. CCCCXVIII. *W. Malmsbur.* l. 1. Continuator *Bedæ* l. 2. 2 In *Peſcennio Nigro.*

ſtra toties factum fuiſſe autumo, quoties è caſtris, ſive ſtationibus, in aciem producti erant ad longas atque incertas profectiones contra hoſtes; illud autem tam propter crebros *Britannorum* motus, quam ob repentinas barbarorum incurſiones frequentiſſime fiebat; quo tempore, ſpe redeundi, atque recuperandi jus ſuum, pecunias in terra deponebant; illorum vero, qui in bello cæſi ſunt, theſauris nos divites facti ſumus. Idem de iis dicendum, quando ſive obſidione cincti, ſive caſtris oppidiſque exuti, pecunias ſuas aſportandi facultatem non habebant: atque inde fit, ut propter caſtra atque oppida iſtiuſmodi nummi plerumque eruantur: verbo dicam, funeſtis belli eventibus, ædium, vicorum, urbium direptionibus atque incendiis magnam partem divitiarum antiquarum debemus.

47. Incendia, inquit *Whartonus*, dum commemoras, *Plotti* noſtri conjecturam in mentem revocas; qui *Regulbium* tuum olim arſiſſe vult, argumento uſus maſſarum metalli, quarum tu ingentem illi numerum ponduſque grave oſtendebas; illius imprimis laminæ, quæ æri cohærens habebat auri puri fruſtum; quam tu maſſam ex ærei aureique nummi, qui juxta poſiti erant,

erant, conflatione natam fuiſſe dicebas. Ita eſt, inquam, neque dubito locum illum, ſive fortuito, ſive oblato ab hoſtibus incendio injectiſque flammis, conflagraſſe. Interrogabat *Mauritius*, an ullum in tanto acervo nummum haberem vel *Rutupiis*, vel *Regulbii*, cuſum? famam quippe eſſe, [1] *Regulbii* olim officinam monetariam fuiſſe. Ita, inquam, vulgus ex immani numiſmatum copia, & maſſarum metallicarum ingenti multitudine judicat, atque id forſan non abſurde. [2] *Carolus* à *Fraxinis* nummos profert, in quibus locus, ubi percuſſi erant, ita notatur, PR. R. RB. RE. RPS. RT. RVPS. hos autem omnes aut *Romam* aut *Ravennam*, refragantibus aliquando literarum notis trahere conatur; neque minus temere nummos ita ſignatos ML. PI.N. LON. PLON. non *Londini*, ſed *Lugduni*, percuſſos fuiſſe docet. Quidni vero ego meo conjectandi jure agam, iſtaſque notas nummarias meo modo interpreter, ſcilicet RVPS. *Rutupiis pecunia ſignata:* PLON. *percuſſa Londini:* id ſi faceres, inquit *Mauritius*, tam illorum locorum celebritatem, quam literarum cum nominibus *Rutupiarum*

1 In additamentis ad *Camdeni Britanniam* in *Cantio*. 2 De inferioris ævi numiſmat. p. 37.

atque

atque *Londini* convenientiam, ſententiæ tuæ valde faventes haberes. Quid autem de coloniis *Romanis* in *Britannia*? ſuntne inter *Regulbinos* tuos nummi earum nomine inſigniti? Reſpondi apud me nullum eſſe, neque forſan tales uſpiam extare. Monuit me de coloniis [1] *Camuloduno*, *Eboraco*, *Deva*, quarum in nummis mentio; item de [2] *Londino*, quod coloniis à *Claudio* deductis accenſetur.

48. *Camulodunum*, inquam, coloniam fuiſſe non finit nos dubitare [3] *C. Taciti* autoritas cum [4] Inſcriptionis *Tarraconenſis* teſtimonio conjuncta; nummi vero, quem *Camdenus* ea de re exhibet, fidem merito ſuſpectam habeo; quippe in illo conjungi video Imperatoris titulum XVIII. cum Tribun. poteſt. XII. quod nullo modo cum antiquis inſcriptionibus ſtare poteſt. Ego ex multis [5] duas tantum proferam huic nummo plane repugnantes, quarum una habet Trib. pot. X. Imp. XVIII. altera, Trib. pot. XII. Imp. XXVII. quid igitur fiet de nummo, qui Trib. pot. XII. cum Imp. XVIII. non tam connectit quam confundit? *Eboracum* coloniæ titulo co-

---

1 Apud *Camdenum* in *Eſſexia*, *Eboraco*, & **Cheſhire**. 2 *Vaillantius* de nummis percuſſis in *Claudio*. 3 Annal. lib. XII. 4 *Gruter* p. CCCCXXXIX. Inſcr. 5. 5 Ex *Onuphrii Panvinii* Faſtis ad A. V. C. 803. 805.

honeſtat

honeſtat lapis, quem [1] *Camdenus* vidit, nobiſque dedit: *Severi* autem nummum, quem ad rem confirmandam adducit, fando tantum accepiſſe, oculis vero nunquam vidiſſe ſuſpicor; etenim, ſi vidiſſet, quorſum tam clarum monumentum nummorum tabulis non inſeruit? quippe quod præcipuum inter illos locum jure merebatur. [2] *Devanæ* etiam coloniæ fides uno nititur *Getæ* numiſmate, cujus quoque averſam tantum partem idem nobis oſtendit. Quin imo neque *Vaillantius* ullum horum nummorum, *Camdeni* autoritate fretus, auſus eſt, quod ſciam, in cenſum numerumque eorum, qui in coloniis cudebantur, referre; illud proculdubio facturus, ſi vel illos oculis ſuis conſpexiſſet, vel genuinos eſſe judicaſſet. Nemo non novit, quam proclive ſit viris etiam doctis in iſtiuſmodi rebus hallucinari, quamque credulitas illa, quæ in optimi cujuſque mentem facillime irrepit, prompta atque parata ſit ad narrationes etiam non veras, modo veriſimilitudinis ſpeciem habeant, admittendas. Metuo ne horum utrumque acciderit in monſtroſo illo *Domitiani* numiſmate; quod nobiſcum

---

1 In *Brigantibus*. 2 In *Cornaviis*.

com-

communicatum eſt in ea, quæ nuper prodiit, *Camdeni* [1] editione: in illo vir rerum antiquarum ſatis peritus legiſſe ſibi videtur DOMITIANVS CALCARAVCI, putabatque ad *Calcariam* oppidum in *Brigantibus* noſtris pertinere. Quam vero inſolens atque ineptum eſt oppidi nomen eam nummi partem, in qua ſacer vultus emicat, occupare, quæ titulis Imperatoriis ſemper vacare ſolet? Erroris igitur hujuſce fontem digito vobis commonſtrabo. Frequentes ſunt iſtius Imperatoris nummi ita ſignati, CAESAR. AVG. F. DOMITIANVS. hanc inſcriptionem quum à *Domitiani* nomine incipiens legeret vir doctus, in detritis literarum notis *Calcariam* ſuam reperiſſe ſibi viſus eſt. Res apertior erit, ſi lectionem nummi veram cum fictitia ſive imperfecta, ita ut litera literæ reſpondeat, hoc modo compares

DOMITIANVS. CAESAR. AVG. F.
DOMITIANVS. CALCAR. AVC. I.

ubi notandum eſt literas utrobique eaſdem eſſe, ſed in poſteriore linea temporis injuria paululum diminutas.

49. De *Calcaria* autem ſatis; *Londinum*

---

1 P. 732.

jam

jam redeo; quod miror à *Vaillantio* coloniam vocari, atque à *Claudio* in *Britanniam* traductam: etenim iſtius rei teſtem nullum nummum, nullum autorem profert; neque id unde illi in mentem venerit, conjectura aſſequi poſſum, niſi, ſubſcriptiones concilii [1] *Arelatenſis* I. perperam intelligendo, lapſus ſit. Eſt equidem inter eas "*Adelfii* Epiſcopi de civitate *Colonia* "*Londinenſium*," id tamen ad *Londinum* non pertinet; quippe proxime ante *Adelfium* ſubſcripſerat "*Reſtitutus* Epiſcopus de civitate "*Londinenſi*." Quænam fuerit civitas illa *Colonia Londinenſium* à noſtris diſputatur, & adhuc ſub judice lis eſt; *Claudio* vero imperante, *Londinum* coloniæ nomine non fuiſſe inſigne, diſerte aſſerit [2] *Tacitus*, quod *Vaillantii* figmentum funditus evertit. Eſt quidem nummus *Græcus Britannici* à *Camdeno* allatus, quo nonnulli uti amant ad probandum *Londinum* tunc temporis Metropolim fuiſſe, alii pro eo, tanquam pro urbis ſuæ *Palladio*, acriter pugnant; quod præcipue fecit literis ad me datis *Evelinus* noſter, nullo alio argumento uſus, quam quod turpe eſſet tam inſigne vetuſtatis atque

1 Concil. *Galliæ* per *Jac. Sirmondum* Tom. 1. p. 9. 2 Annal. XIV.

honoris monumentum nobis abripi. Hunc autem nummum nihil prorſus ad nos pertinere ſubodoravit vir clariſſimus [1] *Nicolaus Fabricius* de *Petriſco*; illumque vir acutiſſimus [2] *Ezechiel Spanhemius* jure merito *Corinthum* ablegavit, nunquam iterum, ut opinor, in *Britanniam* revocandum.

50. Quandoquidem, inquit *Whartonus*, tam rigidus ſis nummorum ab aliis prolatorum cenſor, ut de omnibus, quas in cauſa hac adduximus, ſuſpicionem moveas, videamus, obſecro, quales *Regulbinus* ager proferat. Illud, inquam, quod in *Camdeni* nummis jam feci, in meis facere ſoleo; ſi ſuſpectos invenero, eos quoquo modo examino; ſi extra ſeriem poſitos, ſuo loco repono: ſi vetuſtate æruginoſos atque obſcuros, ſugientes literas, quibus poſſum artibus, revoco; neque horum aliquid, ut puto, inique: quod autem in re nummaria, quam vix primoribus labris attigi, tam multa temere forſan atque plus ſatis audacter pronunciem, illud vitio humani generis tribuendum eſt; etenim plerique hominum de ea arte, in qua fere rudes ſunt, multa inepte effutire amant; quod

1 In Epiſt. ad *Camdenum* LXXVI. 2 De uſu ac præſtantia numiſmatum p. 647.

tamen

tamen illis non ſemper vitio vertendum eſt; hujuſmodi quippe velitationibus, quas docti fortaſſe rident, tyrones tandem exercitati evadunt. Pergam igitur aliquid de nummis *Regulbinis* dicere, quamvis eorum cognitionem parum emolumenti rei literariæ allaturam ſentio. Utilitatis ſi quid habent, id in eo potiſſimum conſiſtit, quod quum proculdubio genuini ſint, ſi frequenti ac diuturnæ illorum contrectationi atque contemplationi aſſueſcas, ſpurios citius atque accuratius deprehendes, & ex aſſiduo longoque illorum uſu, atque conſuetudine, certiorem acquires numiſmatum δοκιμασίαν, quàm ex regulis, quas multas atque ſubtiliſſimas tradunt illius rei ſcriptores; adulterini quippe juxta veros poſiti, neſcio quibus novitatis indiciis, ſe continuo produnt.

51. Tu vero, ait *Whartonus*, nullos eſſe adulterinos in *Regulbinis* tuis ſperas, quum videam in menſa, *Severos*, *Caracallas*, *Julias*, *Getas*, *Elagabalos*, alioſque æreos, ſed argento obductos? Materiam, inquam, ſi ſpectes, adulterini ſunt, quod malum ſub iis Imperatoribus rem monetariam corrupiſſe videtur; antiquitatem vero ſi ſpectes, genuini ſunt; neque apud eruditos nummorum æſtimatores aut ve-

tuſtatis, aut raritatis, laude carent: cave autem putes omnes argento obductos; in quibuſdam enim albicantem illam bracteam, qua nitere videntur, ſtannum eſſe deprehendi; nummo quippe lucernæ igni admoto ſtatim in guttam defluebat, non tam remiſſo calore liquefacienda, ſi argentum eſſet: hoc autem non ſemel expertus ſum. Colliguntur itidem in agro ſive litore *Regulbino* innumeri nummuli ærei, minuti, rudes, *Romani* tamen, quod indicant ſignata in iis capita vel laureata, vel diademate redimita, atque in averſa parte vel ſigna militaria, vel equites hoſtes proſternentes, vel lupa cum *Romulo* & *Remo*. Illorum minutiſſimi vix viceſimam drachmæ *Romanæ* partem æquant: hos vel inclinante imperio, vel urgente neceſſitate publica cuſos, & numero non pondere æſtimatos fuiſſe autumo. Illorum conficiendorum rationem hanc fuiſſe conjicio; fundebatur æs conflatum in minutiſſimos globulos, iis ſimiles, quibus nos plumbeis utimur in avibus tormenti ictu vulnerandis; hos monetarius percuſſit: nec conjecturæ deeſt argumentum, quum iſtiuſmodi globuli ſimul cum nummis inveniantur: quinetiam ejuſdem formæ nummi globulique plumbei, ſed rariores, occurrunt.

Eodem

Nummi ex Electro

C.T.I. 3 & 28 & T.II. 12

Horum pars anterior in cavitatem subsidit; pars aversa convexa est, et in duobus postremis omnino inornata.

Rev.do Viro
J. Conybeare S.T.P.
Ædis Christi Oxon Decano
hanc Tabulam D.D.D.
Ol. Battely.

Hæ tres nummorum series, ut et omnes in Tabula sequenti (nisi forte duos postremos excipiendos credas) ex illis sunt quos Author Antiquorum Galliæ Regum fuisse existimavit.

C.T.II 36

C.T.II 44

His duobus gemini in Collect. Thoresbiana reservantur.

C.T.II. 14

C T II 35

Nota quod C. T. II. 14. 35. &c. nummorum nostris similimum Situm in Tabula secunda Camdeniana significet.

Figuræ crucem *In utraque Tabula veram, cujuslibet magnitudinem Icon è tribus media vel circulus planus numismati annexus exhibet.* *manu gestantes*

Figura stans inter cruces duas.

N. deaurat cujus ℞. eadem est ac superioris, cui annectitur.

Avis *cruci* *insidens*

Nummi aurei Galliæ Regum

Rev.do Viro
Jo. Fanshawe
Ædis Christi Canonico et in Acad: Oxoniensi S: Theo: Profess. Regio hanc Tabulam D.D.D.
Ol. Bawdy

Eodem quoque loco eruuntur aurei, quos *Britannicos* vocant, non ex obryzo ſed ex electro, ſive illo æris genere, quod quartam auri partem admixtam habere ſcribit [1] *Plinius*. Argentei itidem horrendis notis inſculpti, qui neque *Britannorum* neque *Gothorum*, ſed antiquorum *Galliæ* regum fuiſſe videntur. Illorum aliquot exhibent [2] tabulæ novæ *Camdenianæ*; in *Regulbinis* meis, quos multos conſpicitis, illud tantum obſervo, apertas certiſſimaſque *Chriſtianæ Religionis* notas in omnibus fere comparere: cujuſmodi ſunt figuræ *crucem* manu geſtantes; idem ſignum inter duas figuras ſtantes; ſtans inter cruces duas; avis, forte columba, [3] cruci inſidens, ut in ſceptris noſtris; ubique fere cruces, *Chriſtianorum* ſigna militaria: nec, quod de iis dicam, amplius habeo.

52. Tum *Mauritius*, illud, inquit, quod *Whartonus* in initio congreſſus noſtri ludibundus percontabatur, ego nunc ſerio requiro; an ſcilicet in ingenti hoc nummorum *Romanorum* acervo aliqui ſint ad rem literariam juvandam utiles, aut alio modo notatu digni? ſunt, inquam, non pauci, qui à *Vaillantio* aliiſque inter rario-

1 Hiſt. Nat. xxxiv. 8. 2 Tab. 11. Numm. 24. 14. 35. 3 Camden. Tab. 11. Numm. 11.

res

res numerantur; ſunt quidam à *Mediobarbo* cæteriſque, quos vidi, rei nummariæ ſcriptoribus omiſſi, & forte ſingulares. Univerſos recenſere nec tempus ſinit, nec inſtituti ſermonis ratio poſtulat, neque habent omnes utilitatem cum raritate conjunctam. Ego igitur eorum unum vel alterum, qui rem noſtram *Britannicam* & videntur ſpectare, & poſſunt illuſtrare, vobis oſtendam. En autem *Severi* argenteum cum figura inter duo ſigna militaria ſtante, atque ſic inſcriptum:

SEVERVS. PIVS. AVG. BRIT.
PONTIF. TR. P. II. COS. . . . .

53. Vides hic, *Mauriti*, *Severum* anno Tribunitiæ poteſtatis ſecundo *Britannicum* appellari, qui tamen titulus illi non ante annum Tribun. poteſt. XVIII. obtigit, qui vitæ ultimus fuit: illud, hunc ſi excipias, nummos, lapides, hiſtoriam ipſam conſtanter atque uno ore teſtari norunt eruditi. [1] Erat quidem Imperator ille, & victoriæ & cognominis *Britannici* cupidus; quæ res illum jam ſenem, & podagra laborantem, in inſulam hanc traxit; [2] ubi muro per illam tranſverſam ducto, & non ante, *Bri-*

1 *Herodian.* III. 46, 47. 2 *Æl. Spartianus* in *Severo* XVIII.

tannici

tannici nomen accepit. Nummum hunc quum cuidam *Gallo*, qui omnia in hac arte novit, oſtenderem, ille protinus nodo cuneum adhibere; ſcilicet averſam hujus denarii partem non *Severi* ſed *Caracallæ* eſſe; ejuſmodi vero errores Monetariorum incuria ſæpe evenire. Hoc autem quam fruſtra dictum, quum ex ipſius nummis conſtet, *Caracallam* non ſecundo, ſed quarto demum Tribunitiæ poteſtatis anno, Conſulem primo deſignatum fuiſſe? ego *Severi* nummum eſſe, & à *Clodio Albino*, qui exercitibus *Britannicis* præerat, in inſula noſtra percuſſum arbitror: in hanc ſententiam ducit me [1] *Herodiani* narratio; videlicet "*Severum*, no-"vo adhuc imperio, *Albinum*, cujus ſuſpicione "tenebatur, honoris ſpecie ineſcare ſtatuiſſe, "*Cæſarem* appellaſſe, per literas obſecratum "eſſe, ut ipſe potiſſimum curam ſuſcipiat Im-"perii, nummiſque imagine ejus percuti juſſis, "ſtatuiſque erectis, fidem gratiæ ſuæ feciſſe." Hæc *Herodianus*. Agite nunc, annon vobis conſentaneum atque veriſimile videtur, potuiſſe *Albinum* tunc temporis, ut paria paribus referret, nummum hunc excudi juſſiſſe, addito

---

1 Hiſt. II. 48, 49.

Bri-

Britannici titulo, quem *Severo* gratiſſimum fore fortaſſe noverat. Hoc ſi ita non ſit, alius vobis *OEdipus* adeundus eſt. Ego, ait *Whartonus*, nummum hunc ſuſque deque habeo; illud autem me movet, quod obiter jam dixiſti *Severum*, non niſi ſenem, & morti jam proximum, inſulam noſtram adiiſſe, quum in *addendis* [1] *Anglicis* ad *Camdeni Belgas* narretur, *Severum* maximam ætatis ſuæ partem in *Britannia* egiſſe, & forte aliquando *Sarisburiæ* commorantem, loco *Severiæ* nomen impoſuiſſe. *Mauritius* hic *Whartonum* plura dicere aggredientem, & σφάλμα hoc ſuaviter irridentem, ea qua uti ſolebat gravitate, cohibuit.

54. Tunc ego alium nummum, in medium productum, illis monſtravi: illum inquam profero, & quoniam *Severi* eſt, & quoniam *Regulbinus*, & fortaſſe ſingularis. Habet *Severi* caput, & in averſa parte figuram inter duo ſigna militaria cum ἐπιγραφῇ,

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. X.
CONCORDIAE. MILITVM.

Eo tempore cuſus videtur, quo *Severus*, *Alexandriam* profecturus, ſtipendium cumulatius

---

1 Pag. 106.

mili-

militibus dedit, & forte eorum concordiam laudavit. Sed nummum hunc, quoniam rem noſtram parum ſpectat, recondo; alioſque oſtendam, qui & ſingulares ſunt, & non prorſus inutiles. Vir Clariſſimus [1] *Cardinalis Noris*, quum probare vellet *Carauſium* cum *Britanniæ* imperio, & *Auguſti* titulo, pacem à *Diocletiano* & *Maximiano Auguſtis* obtinuiſſe, *Eutropium* ejus rei teſtem advocat; ad *Eutropii* vero teſtimonium confirmandum, è theſauro *magni Etruriæ Ducis* ſingularem *Carauſii* nummum adducit, ſic inſcriptum:

IMP. C. CARAVSIVS. P. F. AVG.
PAX. AVGGG. S. P. M. IXXI.

ubi notis *Auggg. Diocletianum*, *Maximianum*, & *Carauſium Auguſtos* deſignari ait. En autem alium *Carauſii*, eumque *Regulbinum* & prorſus ſingularem! In eo videtis Imperatoris caput radiatum, & in averſa parte *Providentiæ* typum cum hac inſcriptione,

IMP. C. CARAVSIVS. P. F. INV. AVG.
PROVID. AVGGG. C.

unde apparet eum, non ſolum in partem orbis regendi à *Diocletiano* & *Maximiano* vocatum,

---

1 In explicatione nummi *Diocletiani*, p. 23. Patavii A. D. 1676.

ſed etiam, ob proſperos belli eventus, *Invicti* quoque nomen ſibi arrogaſſe. Quæ pulcherrime [1]*Eutropii* locum illuſtrant, ubi narrat "cum "bella fruſtra tentata eſſent contra virum rei "militaris peritiſſimum, ad poſtremum pacem "conveniſſe." Ego vero, ut *Carauſii* etiam nummis fidem faciam, ne ſolus in cauſa ſua teſtis minus idoneus eſſe videatur, *Diocletianos* atque *Maximianos Regulbinos*, in eadem officina cuſos adhibeo, & *Carauſianum* numiſma comprobantes.

IMP. C. DIOCLETIANVS. P. F. AVG.
PAX. AVGGG. S. P. M IXXI.
IMP. C. MAXIMIANVS. P. F. AVG.
PAX. AVGGG. S. P. M IXXI.

55. *Carauſii* nummum, non alias, ut putat, viſum, è gaza *Palatina* dedit nobis vir nobiliſſimus [2]*Ezechiel Spanhemius*; in quo caput radiatum, & in averſa parte figuræ duæ cum ſceptro in unum coaleſcentes, una ſurſum, altera deorſum, literæ autem exeſæ, præter eas, quæ legi poſſunt, VICTOR: in *Regulbino* meo, qui paulo integrior eſt, non VICTOR ſed CONSERVATOR legitur. Si mihi de nummo hoc

1 In Breviario *Romanæ* Hiſt. IX. 22. 2 De uſu & præſtantia numiſm. p. 600.

con-



Æ

pag. 94



Æ

pag. 96



Æ

p. 97



Æ

p. 97.



Æ



Æ



Æ

p. 99.



Æ

p. 99.



Æ

p. 99.



Numm. Spanhemiani R





Carausiani alterius fortasse singularis R



N

p. 100.





Rev.do Viro PHILIPPO BARTON, I.C.D.
Ædis Christi Oxon. Canonico
hanc Tabulam D.D.D. Ob. Battely.

Vertue

conjecturam facere liceret, dicerem cuſum fuiſſe antequam *Carauſius* in imperii partem admitteretur, figuraſque ſceptra geſtantes & coaleſcentes, *Jovem* atque *Herculem*, ſive *Diocletianum* atque *Maximianum*, referre; quorum hic *Jovius*, ille *Herculeus* appellari voluit; corporum autem conjunctione, animorum concordiam indicari; quam inter illos ſummam miramque fuiſſe narrat [1] *Lactantius*, nec potuiſſe in amicitia tam fideli cohærere; niſi eſſet in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua ſententia. Tres alios *Carauſianos*, qui fortaſſe ſunt ſingulares, videtis. Hic *Centaurum* habet globum manu tenentem, literas autem prorſus exeſas, niſi quod LE . . . . . veſtigia illic appareant. Ille figuram galeatam gradientem, gerentemque dextra haſtam, ſiniſtra trophæum humero impoſitum, cun hac inſcriptione, VIRTVS . . . . Tertius, ſtantem & ſtolatam, dextra, ut videtur, baculo innixam, ſiniſtra cornu copiæ tenentem; literæ in circuitu ſunt TEMPORVM FELICITAS. Habetis ſpecimen rei nummariæ *Regulbinæ*; nolo autem amplius inutilem de ea moleſtiam vobis exhi-

1 De mortibus perſecutorum cap. 8. vide & *Baluzii* notas.

bere. His dictis, quum nummos jam in thecam reponerem, conſpicatus eſt *Whartonus* aureum *Magnentii* ſolidum, cujus limbo affixus erat tubulus itidem aureus; cujus uſum quum requireret, reſpondi, ſolere *Romanos* vel perforato nummo, vel hujuſmodi annulo affixo, & tæniola, ſive filo inſerto, eum monilis inſtar collo appendere: neque de alia re intelligendus eſt [1] *Pomponius J. C^tus*, ubi ait, "Numiſmatum "aureorum & argenteorum veterum, quibus "pro gemmis uti ſolent, uſumfructum legari "poſſe.

56. Tunc, amotis nummis, vos, inquam, garrulitatis noſtræ pertæſi miſſionem, puto, expectatis; quippe illo vitio ut [2] ſenes ipſi laborare, ita rerum antiquarum ſtudioſi aliis moleſti eſſe ſolent; nec loquacitate contenti, rerum inventarum glorioſi oſtentatores fere ſemper evadunt. Nullo loco, quod ſciam, jactantius ſeſe effert *Cicero*, quam [3] ubi *Archimedis* tumulum à ſe repertum, atque *Syracuſanis* monſtratum narrat: "Ita," inquit, "nobiliſſima "*Græciæ* civitas, quondam vero etiam doctiſ-"ſima, ſui civis unius acutiſſimi monumentum

---

1 Lib. XXVIII. *ff.* de uſufructu. 2 *Tull.* de ſenectute. *Macrob. Saturnal.* ſermonum, VII. 2. 3 *Tuſcul.* quæſt. v. 23.

"ig-

" ignorâſſet, niſi ab homine *Arpinate* didiciſſet." Egregium vero facinus! exclamat *Mauritius*, monumentum viri, ante annos CXXXVI. propter urbis ſuæ portas ſepulti, atque adhuc è dumis eminens, inveniſſe! ſane *Syracuſanis* vitio vertendum eſt, quod clariſſimi civis monumentum dumis obſitum fere perdidiſſent; *Ciceroni* autem, quod nondum deperditum reperiſſet, non tantopere fuit gloriandum.

57. Video, inquit *Whartonus*, quo nos hac inſinuatione ducit *Joannes*, ſcilicet ut agnoſcamus antiquitates *Cantii* ipſis quoque *Cantianis*, niſi illo, viro in *Icenis* nato, indicante, ignotas fore. Tu vero, mi *Whartone*, qui in *Icenis* itidem natus, manus tamen antiquitatibus *Eccleſiaſticis Cantii* admoviſti, aut ſuſpicionis iſtius parum amicæ telum depone, aut in teipſum retortum accipe. Nihil certe à me longius abeſt quam ſive gratiæ, ſive laudis expectatio; quin potius haud venia me dignum exiſtimo, qui provinciam ſatis temere arreptam pro dignitate ſatis non ornaverim. Verumenimvero ſi, quod æquitas poſtulat, conſilium meum ex animo atque affectu, non ex eventu ponderare velitis, nihil, ut opinor, à me factum invenietis, niſi quod civem gratum ſatis

dece-

decebat. Civem *Cantianum* me voco, quoniam anni ſunt aliquot, ex quo in illam provinciam à ſanctiſſimo viro *Gulielmo Sancroft*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, beneficiis auctus, nec non *Dignitatis* titulis cohoneſtatus, una cum fratre *Nicolao* miſſus ſum, atque à *Cantianis* benigne acceptus. *Nicolaus*, illuſtratis urbis *Cantuariæ* antiquitatibus, officium ſuum edito libro [1] brevi perſoluturus eſt. Ego, ut officio meo non deeſſem, quædam de antiquis *Cantii* locis meditatus ſum; quæ quoniam vos, quaſi crudos fructus à me nunc vi avellitis, haud æquum eſt, ut eorum acerbitate offendamini; qui, ſi per importunitatem veſtram maturitatem aſſequi potuiſſent, magis grati dulceſque fuiſſent; qualeſcunque autem ſint, *Cantio* debentur; quod quidem mihi patria eſt, ſi patria eſt, ubicunque bene eſt: id etiam alio nomine, quicquid in re antiquaria præſtare poſſum, ſibi vendicat, quippe quod mihi materiam, quam cernitis, & vetuſtatis monumenta, quibus utor, ſuppeditavit. Illud quoque me ad rei *Romanæ* in hoc *Cantii* angulo indagationem non mediocriter

---

1 *Cantuaria* ſacra autore *Nicolao Battely* edita eſt *Londini* A.D. 1703, unà cum Antiquitatibus *Cantuariæ Somnerianis* ab editore recenſitis auctiſque.

ſti-

ſtimulabat, quod quoties rei ſacræ faciundæ cauſa *Adiſhamam*, quæ curæ meæ commiſſa eſt, proficiſcerer, toties ex amœniſſimis illius campis collibuſque *Regulbinæs* turres, inſulam *Tanatim*, proxima *Rutupiis* litora, planitiemque in qua portus *Rutupinus* erat, conſpicabar; quorum locorum frequens conſpectus me in multas de eorum vetuſtate cogitationes deducebat. Nolite igitur putare me famam aucupandi, ſed memorem beneficiorum animum teſtandi, propriæque curioſitati gratificandi cauſa, hiſce rebus me immiſcuiſſe.


58. Hic cum ſubſiſtere, neque ultra in dicendo progredi velle videbar, *Mauritius* ſermonem denuo exorſus, te vero, inquit, nondum è manibus noſtris elabi ſinemus. Dixeras, in colloquii hujus initio, alia antiquitatis monumenta, præter nummos, *Regulbii* eruta, & ad te allata fuiſſe, *annulos* ſcilicet & *fibulas*, & id genus ſupellectilis *Romanæ* reliquias; nec te dimittemus, priuſquam totum hoc vetuſtatis *Regulbinæ* armarium probe excuſſerimus: quicquid igitur in eo reconditum habes, id in medium adductum nobis explicato. Vultis, inquam, forte, quod non ſemel expertus ſum, inanem atque ſuperfluam meam in congerendis con-


conſervandiſque his quiſquiliis diligentiam, quaſi inſaniæ ſpeciem, quæ ἀρχαιομανία dici meretur, ſuaviter deridere. Noli, ait *Mauritius*, nos tam inurbanos tamque ἀμούσους putare; quin potius bonum factum laudamus, quoniam ſcimus, non ſine ſumma diligentia, cum ſumptu non mediocri conjuncta, hujuſmodi monumenta & perquiri, & ab interitu vindicari ſolere; illa non tantum doctorum virorum privatis muſêis, ſed & maximorum Principum gazis ornamento eſſe; ab omnibus fere, qui cor habent, ſtudioſe perquiri, avide expeti, quovis pretio redimi; hujuſmodi argumentis ſtudia tua contra indoctorum hominum inficetas facetias facile tuebere.


59. Eſt, inquam, ut dicis, *Mauriti*; mallem tamen cum agreſtibus iſtiuſmodi ingeniis non conflictari, quæ neque antiquitatem ſapiunt, neque bonas literas colunt, neque urbanitatem amant. Vobis autem, quoniam vos non ſolum æquiore animo erga hæc ſtudia, ſed etiam in iis non mediocriter eſſe verſatos ſciam, promptuarium meum, etiamſi tenuiter inſtructum, aperire non verebor; tumque muſêi noſtri angulum quendam digito commonſtrans, in quo menſa erat *urnis*, *pateris*, *urceis*, *ollis*, *teſtis*, *la-*

Rev.di Viro
Davidi Gregory
S. T. P.
Ædis Christi Oxon.
Canonico
hanc Tabulam
D.D.D.
Ol. Battely.















Scala unciarum Fig. 3 & 4 accomodata.



lateribus extructa; en, inquam, officinam figulinam! illud autem primo intuitu obſervare poteritis, *Regulbium* vaſa fictilia raro ad nos integra mittere; quoniam ruente clivo, in quo jacebant, plerumque confringuntur: quod apparet ex innumeris illorum fragmentis, quæ toto paſſim litore diſperſa inveniuntur; quorum ego nonnulla propter elegantiam atque varietatem figurarum, quibus ornantur, conſervo. Inter hæc teſtas conſpicitis pampinatas, alias ſquammatas; in hac ludentes puerulos, in illa *Cupidinem* leones flagro cædentem atque domantem, in alteris canem inſectantem leporem, quadrigarios quadrigas agitantes, caput leonis in vaſis latere eminens, per cujus rictus perforatos aqua guttatim effundi poteſt: eratque forſan *gutti* fragmentum, quo vaſe in ſacris uti ſolebant. Verbo dicam, in omni fere teſta artis figulinæ varii, iique nec abſurdi nec temerarii, luſus conſpiciuntur; inter eadem fragmenta ſunt quædam, uti vocant, literata, ſive literis inſcripta, hoc CCF. illud TACI. tertium PRIMITIVI. id autem celeberrimo figulo [1] nomen erat. Videtis præterea pateram fere in-

1 *Paul. Petavius* in Antiquaria ſupellectili. *Smetius* in Antiquitat. *Neomagenſibus*, p. 166. Noviomagi A. D. 1678.

tegram, in cujus meditullio hi characteres MARSI. M. leguntur.

60. Ego illud, inquit *Whartonus*, in omnibus obſervo, literas figura oblonga, quadrilatera, includi, quæ, ut puto, forma erat ſigillorum, quibus nomina vaſis ſuis imprimebant figuli. *Mauritius*, ut *Whartoni* obſervationem confirmaret, memini, inquit, quum *Neomagi* eſſem legato [1] *Britannico* à ſacris, vidiſſe me in *Smetii* muſêo lapidem colore viridem, forma quadratum, in cujus ſingulis lateribus, ſive, ut ita dicam, aciebus, inſculptæ erant literæ inverſæ & retrogradæ, uti in ſigillis ſculpi ſolent. Hunc lapidem ejuſmodi uſui deſtinatum fuiſſe tum putabam. Parum, inquam, à vero aberras; etenim illius typum, quem nobis una cum altero haud diſſimili dedit [2] *Smetius* F. attentius intuens, illico deprehendi ſigilla fuiſſe cujuſdam medici nomine inſcripta, quod medicamentis ſuis una cum eorum nominibus imprimebat, aut forte vaſis, in quibus continebantur. Harum inſcriptionum unam integram dabo, quæ, clavis inſtar, reliquas facile aperiet.

MARCI VLPI HERACLETIS CYCNARIVM AD

---

1 Viro excellentiſſ. *Leolino Jenkins* Equiti Aur. A. D. 1675. 2 In Antiquitat. *Neomagenſ.* p. 98, 99.

IM-

IMPERATOREM. Norunt autem medicorum filii *cycnarium*, *ſtratioticon*, cæteraque, quæ in his inſcriptionibus occurrunt, eſſe *collyriorum* nomina; ita ut perſpicua atque dilucida ſit horum lapidum expoſitio; quam tamen *Smetius* ſe penitus ignorâſſe confitetur.

61. Hic *Whartonus*, digitum ad urnam inſolitæ magnitudinis intendens, quid, inquit, video? Reſpondi: ollam, non oſſuariam, ſed vinariam; eſt enim intus picata; quod in vaſis vinariis quomodo faciendum ſit, docet nos [1] *Columella*: eſt quoque anſis quatuor inſtructa, quarum ope humi demergi, atque iterum, quando opus erat, ſublevari poſſet, qui uſus urnæ ſepulcrali, quam loco movere religio erat, minime conveniebat: capit ſextarios noſtros XXIV. [2] quot urna menſuralis apud *Romanos* continebat: ſed nihil certi inde colligi poteſt propter ſextarii antiqui noſtrique differentiam. Hæc una cum multis oſſuariis effoſſa eſt; non quidem *Regulbii* ſed *Durolevi*. Quid vero, exclamat *Whartonus*, vino cum cineribus? num mortui bibunt? Minime inquam; ſed rogum vino extingui, oſſa lavari, in inferiis ſepulchra

1 De re ruſtica, XII. 18. 2 *Columella* de re ruſtica, XII. 20.

ſpargi, diiſque inferis libari uſitatiſſimum erat. Plura dicere aggredientem repreſſit me *Mauritius*, rogans, quo loco *Durolevum*, de quo mentionem injeceram, eſſet? [1] *Newentonæ*, inquam, vel non ab ea procul; illa enim à *Durobrevi* M. P. circiter VII. vel VIII. diſtat; quæ diſtantia *Durolevo* quoque aſſignatur; nempe in *Tabulis Peutingerianis* M. P. VII. in codicibus quibus uſus eſt *Harriſonus* noſter. M. P. VIII. unde *Itinerarium Antonini* ſic reſtituendum cenſeo,

Durolevum. M. P. VII. ſive VIII.
Durovernum. M. P. XVII. ſive XVIII.

huic emendationi valde favet ingens urnarum numerus, propter viam publicam effoſſus; qui neminem dubitare ſinit, *Newentonam*, in hoc itinere ſitam, ſub *Romanis* floruiſſe. Cernitis nigricantes illas urnas atque vaſa; ea in villa [2] *Newentonæ* proxima eruta ſunt, in agro, ut puto, figulino, non ſepulchrali; quoniam urnæ & vacuæ, & inverſæ, & nullo ordine poſitæ, repertæ ſunt; idque in ſolo paluſtri, non

---

1 Vide Antiquit. *Cantuar. Lond.* 1703. pag. 13. *Burtoni* Comment. in *Antonini Itinerarium Lond.* 1658. pag. 180. & *Caſauboni* notas in *M. Antoninum* pag. 31. 2 Upchurch.

are-

arenoſo; imo una vel altera, ſi recte memini, in ipſo vicini fluvii alveo demerſa.

62. Priuſquam hunc ſermonem de re ſepulchrali abſolvamus, noli, inquit *Whartonus*, nobis dicere gravari, quid de *Laberii* tumulo ſentias, quo *Cantium* noſtrum ſe nobilitatum gloriatur, quemque oſtentat tam victoriæ *Britannicæ* quam Antiquitatis *Romanæ* præclarum monumentum. Habeant, inquam, *Cantiani* noſtri ſuum ſibi *Laberium*; quippe ſcio illos pro mortuo *Laberio* tam acriter dimicaturos quam cum vivo *Britanni* pugnabant. Eſto igitur, fuerit ſtrenuiſſimus Tribunus militum hic interfectus, atque injecto ceſpite humatus; nequeo tamen *Camdeno* de origine nominis aſſentire; qui locum *Jul-ham* quaſi *Julii ſtationem* ſive *domum*; tumulum vero *Jul-laber* quaſi *Laberii ſepulchrum*, vocari cenſet. Sane ſi *Julio Laberio Tribuno* nomen fuiſſet, probabilior eſſet conjectatio; is [1] vero *Quintus Laberius Durus* erat. Hujuſmodi vocum compoſitiones, *Romanæ* cum *Saxonica*, Imperatoris cum Tribuni nomine, vulgi auribus, non doctorum, placere ſolent. Ego hæc pura puta

1 *Cæſ.* de Bello *Gall.* v. 15.

Sax-

Saxonica eſſe, & *Cilla-ham*, ita enim in antiquis ſcriptis legitur, *manſionem Saxonis* alicujus, cui *Cillæ* nomen; *Cilla-byrig* vero ejuſdem *Cillæ ſepulchrum* denotare exiſtimo: ne autem ſcripturæ diverſitas vos remoretur, ſciendum eſt in ea lingua *Cilla-ham* & *Cilla-byrig* ita efferri, uti apud nos *Chilla-ham* & *Chilla-byri*; literam namque *c* in initio vocum ante *e* & *i* *Saxones*, quod etiam *Itali* nunc faciunt, quaſi *ch* proferebant; *g* autem plerumque non ſonabant. Quandoquidem autem ad *Laberii* tumulum adſtamus, illum pauliſper contemplemur: longus eſt pedes plus CLXXX. latus plus quam XL. altus VII. vel VIII. in faſtigium aſſurgens; eadem illi figura, quæ cœmeteriorum noſtrorum ſepulchris, idem ad occidentem orientemque ſitus; ſola in magnitudine differentia: jacet propter fluvium *Sturam*, in fundo D. *Diggeſii* Viri Generoſi, optimi, nobiſque amiciſſimi; cujus permiſſu, hortante nobili admodum potentique Domino Vice-comite de *Weymouth*, illum *H. Finch*, vir non minus Antiquitatis ſcientia, quam generis nobilitate clarus, ante aliquot menſes perfodi curavit, datiſque ad me literis amiciſſimis certiorem fecit de operæ ſuæ eventu parum proſpero, utpote

quod

quod nihil inter fodiendum occurreret, unde *Romanæ* an *Saxonicæ* originis eſſet, an ad *Laberium*, an ad *Cillam* pertineret, argumentum duci poſſet.

63. Eo igitur redeamus, unde nos abduxit curioſa *Whartoni* diligentia: en *tubum* fictilem è clivo *Regulbino* extractum, longum uncias XVII. cum dimidia; foramina habet duo oblonga, hinc inde in lateribus oppoſitis; [1] nares, ſive ſpiramenta, per quæ fumus emittitur: latera perforata lata ſunt uncias v. non perforata, plus VI. craſſus eſt later fere unciam; intus fuliginoſum habet nigrorem, qui illius uſum aperte docet; fuiſſe ſcilicet ex eorum inventorum numero, quem [2] *Seneca* ſua prodîſſe memoria teſtatur, "impreſſorum parietibus tubo-"rum, per quos circumfunderetur calor, qui "ima ſimul & ſumma foveret æqualiter:" noſtrum hunc parieti aliquando impreſſum fuiſſe monſtrat calx cum arena in mortario ſubacta, quæ illi ubique fere, ut videtis, adhæret. Hujuſmodi tubos parieti communi imprimere vetabat [3] lex, "Non licet tubulos habere admotos "ad parietem communem; ſicuti nec parietem

1 *Vitruvius* de architect. VII. 10. 2 Epiſtola XC. 3 L. Quidam *Hiberus* in princ. *ff.* de ſervitutibus urbanorum prædiorum.

ſuum

"ſuum ſuper parietem communem: de tubulis "eo amplius hoc juris eſt, quia per eos flamma "torreturparies:" Tubum in *Ordevicum* agro repertum narrat [1] *Edw. Lhwyd* (qui ſatis pro *Camdeni* dignitate illius *Cambriam* & auxit, & illuſtravit) noſtro ſimilem, niſi quod, aliquanto brevior, nares non oblongas ſed rotundas habeat; ſubindicans, inventum in hypocauſto; quale, nuper inventum integrum *Veroconii*, deſcribit [2] *Giraldus Cambrenſis* his verbis, "*Stu*-"*phas* undique videas artificio miro confectas, "lateralibus quibuſdam & præanguſtis ſpiraculi "viis occulte calorem exhalantibus;" quo loco laterales viæ an tubos lateritios, an in hypocauſti lateribus impreſſos denotent, perinde ad rem noſtram facere cenſeo. *Whartonum* hic plura de caminorum, quibus hodie utimur, antiquitate & quærere & diſputare paratum, ſuaviter repreſſit *Mauritius*; ea, inquiens, quæſtio non tantum ab inſtituto noſtro longe remota, ſed etiam dubio procul poſita eſſe videtur, quandoquidem [3] *Lipſius* inventum id non nimis priſcum, quamvis bonum commodumque, eſſe demonſtravit.

---

1 *Camd. Britan. Anglice* editæ, p. 607. 2 Itin. *Cambriæ* l. 5. 3 Epiſtolarum ad *Belgas* Cent. III. Ep. LXXV.

64. Ac-

Honorabili
&
Reverendo admodum
in Christo Patri
Richardo
Episcopo Menevensi
nec non Aedis Christi
Oxon. Canonico
hanc Tabulam
D.D.D.
Ol. Battely.




Fig.1.
Pag.107.



Fig.2.



Scala Unciarum

Fig.3.
Pag.111.112.

Fig.1. OLLA VINARIA DUROLEVI Effossa. Fig. 2. Urna Sepulchralis apud Sandy in Agro Bedfordiensi reperta, ut ex Literis à Doctiss. Viro W. Wootton. S.T.P. ad Autorem datis constat Fig.3 Later è Balnei pariete extractus.



Reverendo admodum
in Christo Patri
Ioanni
Episcopo Landavensi
nec non Aedis Christi
Oxon. Canonico
hanc Tabulam
D.D.D.
Ol. Battely.






Cochleare
p. 124.

Cultri plicatilis manubrium.
pag. 126.




Alia Fibulae species,
cujus acum pro
stylo post
Petavium descripsit
Molinetus.




Annulus Clave
instructus





Fibula
p. 128.



Cochleare mensurale.
p. 126.

64. Acquieſco, inquit *Whartonus*, modo in Antiquitatibus *Regulbinis* progrediamur, quas nondum exhauſtas eſſe video; meque juſſit, quæ reliqua eſſent, depromerem: tunc ego abacum oſtendens varia ex ære [1] ſupellectile ornatum, hæc, inquam, per annos plus mille trecentos in terræ viſceribus cum ærugine colluctata, & in lucem tandem protracta, ollam fuſoriam, niſi à me pretio redempta, non evaſiſſent; narravit enim mihi faber ærarius ſe harum rerum, *Regulbii* inventarum, plus xxx. pondo conflaviſſe: in iis quæ à me conſervata ſunt, vobis appono acus, ni fallor, ſartorias, textorias, crinales, diſcriminales, fibularias; annulos tam clavibus inſtructos, quam ſigillis inſculptos; ciſtarum, balteorum, frænorum, ephippiorum ornamenta ænea; claves; armorum fragmenta; fibularum ſpecies multiformes; imagines, ſive potius imagunculas; ligulas; cochlearia; ſtrigilem; cultrorum plicatilium manubria; volſellas; bullas; armillam auream ſapphiris diſtinctam; cum innumeris aliis, quæ, quam ad claſſem referri debeant, penitus ignoro.

---

1 Hujuſce ſupellectilis præcipuam partem tabulæ ſequentes exhibent.

65. Hic *Mauritius* vix riſum cohibens, egregium vero, exclamat, nomenclatorem! utinam te tam paratum habeamus ad hæc exponenda, quam in congerendis diligentem, in percenſendis prolixum atque copioſum habuimus. Jure, inquam, merito me perſtringit *Mauritius*; id tamen, pro ſua humanitate, levius & magis ſine contumelia quam merebatur glorioſa noſtra oſtentatio. Quandoquidem autem ſciam in rebus tam parvis nimis enucleandis quam minuta ſit, imo ridicula omnis diligentia, ea ſolum excerpam quæ aut rara ſunt; aut ab aliis intacta, aut minus recte explicata videntur: quid enim attinet poſt *Rhodium* fibulas, poſt [1] *Licetum* annulos, poſt [2] *Salmaſium* acus deſcribere? A ſtrigili igitur, ſi ita vultis, exordiar: quoniam illud inſtrumentum & raro invenitur, nec illius ſtructura omnibus ſatis nota, neque uſus perſpectus eſt. Raritatem quod attinet, duas in *Trajani* Imp. thermarum ruinis inventas dedit nobis [3] *Hieronymus Mercurialis*; tertiam è muſeo Nobiliſſimi Viri *Nicolai Fabricii* exhibet [4] *Laurentius Pignorius*; [5] *Claudius Molinetus C. Genovifæ Canonicus* tres

1 In libro de annulis. 2 *Plin.* exercit. p. 759. *Par.* 1629. 3 Art *Gymnaſt.* l. 8. 4 De ſervis, p. 84. *Amſtel.* 1674. 5 Dans le cabinet de la Bibliotheque de S. *Genevieve*, p. 27. *Par.* 1692.

in

45

Annulus ex ære cypria deauratus, insolitæ ponderis et magnitudinis, inter Autoris supellectilem conservatus; non constat autem Regulbij repertum esse.



Strigilis Fabriciana.

ANDREÆ STONE *Arm.ro*
hanc Tabulam
D. D. D.
H. Batteby.

Ligula pag: 119 descripta.

Annuli in longitudinem protracti forma.





Strigilis ab Hieronymo Mercuriali descripta.

Strigilis hujus, ut et reliqua supellectilis nostræ, quam Hæc et Tabula XI *&* XIII *exhibent, vera magnitudo delineatur; Figurarum autem, quas ab aliis Autoribus desumpsimus, eadem est magnitudo, quæ in Tabulis olim editis reperitur.*

Tab. XII. *p.* 115.

in illius Eccleſiæ bibliotheca aſſervari ait, quarum unius tantum figuram nobis dedit; ſed quod plures nequeam proferre, illud fortaſſe non tam ſtrigilum paucitati, quam Bibliothecæ noſtræ penuriæ, quæ id genus libris non abundat, tribuendum eſt. Noſtram unicam in *Britannia* repertam, ſaltem publici juris factam, & deſcriptam, eſſe puto. Eam, in ciſterna *Regulbina* inventam, miſit ad me ruſticus, ex colore auream eſſe, & aureis decem redimendam, ſperans; nec ruſtici ſpem ſolum fefellit aureus color, ſed etiam ſeduli rerum vetuſtarum indagatoris D. *Aubrii* judicium: qui, conſpecta ſtrigili noſtra, protinus exclamavit, en auream falcem, qua viſcum [1] *Druides* demetere ſolebant! Nôſtis autem, quam ſuperſtitioſe atque aniliter Vir alioquin ſatis doctus omnia fere ad *Druidum* religionem cultumque trahere ſolebat: noſtra hæc non ſolum integra, ſed nec ærugine fere tacta eſt; eam vero, ſi quam habet, poſtquam ad me venit, contraxiſſe ſcio: materiam illam auream, qua oblinitur, quod aurum facit, ſplendorem hunc intemeratum conſervâſſe puto: hanc præ oculis habuiſſe

1 *Plin.* Hiſt. Nat. xvi. 44.

[1]*Sympoſium* Poetam jurares, cum ſtrigilem æneam ita deſcriberet,

Rubida, curva, capax, alienis humida guttis,
Luminibus falſis auri mentita colorem,
Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.

Nec minus accurate eandem [2]*Apuleius* depingit, "honeſtam" vocans "ſtrigileculam, recta "faſtigiatione clauſulæ, flexa tubulatione ligu-"læ, ut & ipſa in manu capulo moraretur, & "ſudor ex ea rivulo laberetur:" ubi illud imprimis animadvertendum, ſtrigilem ab *Apuleio* bipartitam eſſe, in clauſulam, ſive eam partem, quæ manu claudebatur, atque in ligulam; illam recte in faſtigium ſurgere; hanc tubulum in longitudinem diffuſum referre, & flexuoſam fuiſſe: *Fabricianæ* ſtrigilis capulum ſive clauſulam cum *Apuleii* deſcriptione minime convenire, cum non rectus ſit, ſed ipſa ligula magis flexuoſus: *Mercurialis* ſtrigiles manubria habere, non ut noſtra, rotunda, ſed quadrata; ligulas quidem curvas, ſed non, ut hæc, iterum recurvatas.

66. Duplex erat ſtrigilis uſus; primarius in balneis, ſecundarius in re medica: de priori intelligendus eſt [3]*Perſii* verſus:

---

1 Ænigmat. LXXXVI. 2 *Floridorum* l. II. 3 Sat. V. verſ. 126.

I,

I, puer, & ſtrigiles Criſpini *ad balnea defer.* *Ludovicus Pratæus Gallus* Rhetoricæ Profeſſor emeritus, qui *Juvenalem Perſium*que in uſum *Delphini* notis illuſtravit, quando ſereniſſimum Principem docere vellet quid ſtrigilis eſſet, [1] *Calepinum* ſive [2] *Stephanum* ſuum prius conſulens; "dentatum eſt," inquit, "è ferro, ar-"gento, aliave materia inſtrumentum, dictum "à ſtringendo ſive radendo." Sic quidem ſtrigilem equiſonum utrique definiunt, "inſtru-"mentum è ferro dentatum, quo equos & id "genus jumenta expolire ſolent equiſones." Quis autem mortalium ante *Pratæum* tam immitis, ut dentatas è ferro ſtrigiles balneis inferri, iiſque nudos homines non tam diſtringi quam lacerari, atque excarnificari curaret? Quid vero immitem voco *Pratæum*, qui miſericordia proculdubio commotus, cum [3] *Juvenalis* verſum explicaret

——— *& ſonat unctis*
Strigilibus ———

"eas probe ungi cavit, quo minus læderent?" Ego vero, ait *Whartonus*, *Juvenalem* ſemper ita intellexi, ungendas ſcilicet fuiſſe ſtrigiles,

---

1 In dictionario. 2 Theſaur. Linguæ. *Latinæ.* 3 Sat. III. v. 263.

non

non ne ipſæ læderent, ſed ne rubigine læderentur; quod malum illis, præſertim ferreis, propter ſudoris ſalſedinem accidere ſolere innuit [1] *Plautus*, ſtrigilem "rubiginoſam" vocans: recte, inquam, ſentis, recte mones; neque ipſe *Pratæus* tam abſurda de hoc inſtrumento effutiiſſet, niſi illius formam figuramque penitus ignorâſſet. Secundarius ſtrigilis uſus in re medica, adventitius plane atque fortuitus, ex figuræ commoditate, quæ flexa, cavaque eſt, natus videtur; eum ita nos docet [2] *Cornelius Celſus*, "in aurem infundere aliquod medica-
"mentum oportet, quod ſemper ante tepefieri
"convenit, commodiſſimeque per ſtrigilem in-
"ſtillatur." Idem [3] *Scribonius Largus:* "pro-
"deſt herbæ urceolaris aut cucurbitæ ramen-
"torum ſuccus tepens per ſtrigilem in fora-
"men auris dolentis infuſus:" [4] *Plinius* demum, eos ſecutus, ſuum medicamentum omne "in ſtrigili calefactum infundi" præcipit.

67. Hic ſtrigilem loco ſuo reponenti, miror, inquit, *Whartonus*, virum doctiſſimum *Hieronymum Mercurialem* ubique ſtrigiles maſculino genere uſurpare, quando *Nonnius* Grammati-

1 In *Sticho*. 2 De re medica, VI. 7. 3 De Comp. med. XXXIX. *Petavii* 1655. 4 Hiſt. Nat. XXV. 13.

cus

cus tradit certo eſſe fœminini; omneſque id nunc agnoſcant: illud, inquam, videant Grammatici; in quorum numero me non eſſe, expedit mihi ἀγραμμάτῳ hic profiteri: utcunque tamen, progrediar in oratione; & poſt ſtrigilem ligulam *Regulbinam* depromo, quoniam cognationem quandam habere videntur, ſiquidem meminiſtis *Apuleium* cavam ſtrigilis partem *ligulam* vocare. Ligulæ vero figuram nemo, quantum ſcio, adhuc nobis dedit; frequens quidem illius in antiquis ſcriptoribus mentio; ſed tam quoad uſum quam quoad formam valde diverſa; unde multus quidem variuſque de eadem apud recentiores ſermo, omnis tamen incertus atque inutilis; ad quam confuſionem tollendam proderit forte noſtræ explicatio. Eam conſpicitis ſtrigili multo minorem, non καμπύλην ſive incurvam, ſed rectam, capulo ſtyli more in acumen faſtigiato; imo propter manubrium hanc pro ſtylo ſcriptorio habuiſſem, niſi aliter me monuiſſet [1] *Sympoſii* ænigma de graphio

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo.

noſtra vero in imo non plana, ſed cava eſt,

---

1 Ænig. 1.

ſty-

ſtyliſque, quantum ex eorum deſcriptionibus conjicere licet, prorſus diſſimilis. Sed ut aliquid diſtincte de iis dicamus, notandum eſt triplex fuiſſe ligularum genus (calceorum quippe ligulæ ad hunc locum non pertinent) aut enim menſuris, aut rei ruſticæ, aut menſis inſerviebant. De menſuris ligularum præcipue agunt rei medicæ ruſticæque ſcriptores; aiuntque illas [1] in liquidis quartam cyathi partem, in aridis cumulatas ſemunciam capere; noſtram autem, cum tantæ capacitatis non ſit, menſuram non fuiſſe liquet. In re ruſtica eas [2] aut melli à ſpuma purgando, aut [3] flori ceræ eligendo, aut [4] libralibus offis in ora boum domandorum demittendis, inſerviiſſe legimus. Sed nec his uſibus noſtram deſignatam fuiſſe puto: reſtat igitur menſæ vaſculum fuiſſe inſtar cochlearis.

68. Quandoquidem vero nemo antiquorum frequentius ligularum meminit quam *Martialis*, ideo non dubitabam, quin ſi illum ejuſque commentatores adirem, ſtatim, quid ligulæ eſſent, deprehenderem; cumque propter librorum in uſum *Delphini* editorum famam atque

---

1 *Columella* de re ruſtica XII. 21. 2 Idem IX. 15. 3 *Plin.* XXI. 14. 4 *Columella* XII. 21.

exiſti-

exiſtimationem, *Martialem* à *Vincentio Colleſſo* illuſtratum conſulerem, virum illum in notis impenſe atque laborioſe nugacem inveni, nec quid *Martialis* vellet *ligulam* nominans, aut ipſum intellexiſſe, aut aliis enarrare potuiſſe: illud autem ne à me vel temere, vel contumelioſe, vel injurioſe dictum putetis, operam dabo; inter [1] *Saturnalitia* munera ligulas graciles recenſet Poeta, has pro gladiolis argenteis ſumendas eſſe cenſet *Vincentius* Interpres; idem facit in illo verſu

[2] *Saturnalitiæ ligulam miſiſſe ſelibræ*;

iterum

—— [3] *ligulam cum mittere poſſis*

hic quoque gladiolum ſuum educit; eaſdem demum nugas agit in [4] eo Epigrammate,

Quamvis me ligulam dicant equiteſque patreſque,
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Hanc interpretationem multa evertunt, aut ſaltem frivolam eſſe monſtrant: Quid enim ſi veteres, autore [5] *Gellio*, gladiolum oblongum in ſpeciem linguæ factum lingulam vocabant? annon idem monet vocem illam eſſe minus fre-

---

1 Epig. v. 18. 2 Epig. v. 20. 3 Epig. VIII. 33. 4 Epig. XIV. 120. 5 Noct. *Att.* X. 25.

quentem, *Nævium*que veterem Poetam citat, qui ea in tragœdia *Heſiona* uſus eſt? Quid, inquam, ſi *Martialis* toties gladiolum lingulam appellavit, vocabulum illud minus frequens eſſe monere, *Nævium*que citare *Aulo Gellio* opus erat? Vox tam crebro à *Martiale* uſurpata, *Gellio*, qui paulo poſt eum ſcripſit, infrequens dici non potuit. Accuratus idem Interpres ligulam aliquando [1] menſuram, aliquando [2] ſpathulam eſſe vult; ubi autem inter menſæ vaſcula à [3] *Martiale* recenſetur in iis verſibus

Pocula ſolliciti perdunt, ligulaſque miniſtri.
Et latet in tepido plurima mappa ſinu:

hic, inquit, ligula & cochlear eſt & ſpathula, &c. Quis non videt eum, quid ligula ſit prorſus neſciviſſe? Cochlear non eſſe ipſe nos docet *Martialis*, qui diſtincte, idque non ſemel, utriuſque mentionem facit. [4] Unicum adducam locum, cum plura poſſem;

Octavus ligulam miſit ſextante minorem,
Nonus acu levius vix cochleare tulit.

Quis autem non novit diverſo [5] Epigrammate ſtatim poſt ligulam argenteam cochlearia laudari?

---

1 In notis ad Epig. v. 18. & 20. XIV. 120. 2 In notis ad Epig. VIII. 33. 3 Epig. VIII. 59. 4 Epig. VIII. 71. 5 Epig. XIV. 120, 121.

dari? unde recte judicavit Vir omni laude major [1] *Jac. Sirmondus*, notas esse ligulas in mensæ vasculis, atque aliud esse cochlear, aliud ligulam; quorum utrumque cum ignoraret *Vincentius Collesso*, nec ei mensarum ligulæ in mentem unquam venirent, inepte satis mensuras gladioloſque ubique induxit. Quanquam sciam tædere vos multi prolixique de re minima sermonis, nequeo tamen *Charisii* Grammatici locum intactum præterire, quoniam & ad præsentem dissertationem pertineat, & propter corruptam lectionem nondum recte sit intellectus. In eo emendando explicandoque multum frustraque laboravit Vir doctissimus & γραμματικώτατος [2] *Joannes Gerardus Vossius*, nec satis mirari queo veram illius lectionem virum acutissimum fugisse; verba hæc sunt: "Lin-"gula cum non à linguendo dicta est in argen-"to, in calceis vero lingula à ligando, sed usus "lingulam sine *n* frequentat;" nullo plane sensu: quis enim non videt *Charisium* ita scripsisse? "Lingula cum *n* à linguendo dicta est, in "argento: in calceis vero, lingula à ligando," &c. Illud scilicet voluit *Charisius*, lingulam,

1 In notis ad *Sidonii* Epistolar. lib. 1. Ep. 2. 2 In Etymolog. ad verbum *Ligula*.

qua argentea in menſis utebantur, & cum *n* ſcribebant, à linguendo dictam fuiſſe; lingulam vero calceorum à ligando; utramque vero frequentius ſine *n* ſcribi.

69. Quoniam autem cochleare cum ligula apud *Martialem* conjunctum vidimus, de eo pauca dicam; niſi, quod metuo, harum nugarum ſatietas atque faſtidium vos teneat. Cum uterque ut in dicendo procederem juberet, modo mercium *Regulbinarum* aliquid ſupereſſet, nolle enim ſe alias ſibi obtrudi; ſupereſt, inquam, cochleare, ut puto, argenteum; pro capulo ſtylum habet, unde perperam cochlearia ſtyli graphiarii loco antiquitus fuiſſe ſomniavit [1] *Smetius*; ima pars in ſpeciem conchæ, quam pectinem vocant, excavatur: unde *Græci* μύστρον dicunt, eſt enim μῦς concha. Ego vero cochleare hoc *Regulbinum* nunquam protuliſſem, niſi me moviſſet illud [2] *Martialis* Epigramma

Sum cochleis habilis, ſed nec minus utilis ovis,
Numquid ſcis potius cur cochleare vocer?

quod cochlearis noſtri ope, à nemine hactenus

1 Antiq. *Neom.* p. 76. 2 XIV. 121.

recte

recte explicatum, illuſtrari poſſe non deſpero. Etenim videtis alteram illius extremitatem concavam, oviſque exhauriendis commodiſſimam, alteram vero acuminatam ad marinas cochleas, quæ in menſis apponi ſolebant, è calicibus eruendas æque idoneam; in illum vero uſum cochlearis acum excogitatam fuiſſe notavit [1] *Julius Pollux*, τὸ δὲ κοχλιάριον, inquit, καλοῖς ἂν μυστιλάριον, ἢ κοχλιάρυγον, id eſt, cochlearum effoſſorem; quod miror in nupera *Pollucis* editione non eſſe obſervatum. Quis denique niſi perſpecta hac cochlearis forma [2] *Plinium* intelligat, narrantem quomodo ab incantationibus ſibi cavebant veteres, "defigi quidem diris deprecatio-"nibus nemo non metuit; huc pertinet ovo-"rum, ut exſorbuerit quiſque, calices, cochlea-"rumque, protinus frangi, aut eoſdem coch-"learibus perforari," quod certe niſi cochlearibus acuto ſtylo præditis fieri nequibat. Qui cum *Domitio Calderino* cochleare non ab illius uſu in effodiendis cochleis, ſed à cochlearum forma dictum eſſe contendunt, næ illi parum ſciunt quid cochleas conchaſque interſit; quippe concharum figuram cochleare noſtrum plane

---

1 Onomaſt. VI. 12. 2 Nat. Hiſt. XXVIII. 2.

refert,

refert, non autem cochlearum, quæ κοχλὰς eſt ſive turbinata, & cochlearium uſibus prorſus inepta. Aliud habeo cochlearum genus, ſine ſtylo, ſine manubrio, anſula breviori inſtructum, cujus ope digitis contineri poteſt; hoc ego cochlear *menſurale* fuiſſe puto, quamvis [1] *Michael Angelus Cauſeus* id inter vaſa ſacra numeret, eoque thus ex acerra ſumi ſolere ſcribat. Nolo hic iterum *Vincentium*, *Martialis* interpretem, in ſcenam proferre, quamvis eundem in cochleari ac in ligula exponenda errorem erret; ſed ad reliqua explicanda vel potius delibanda progrediar.

70. Ligulis cochlearibuſque accenſendi ſunt cultri, quibus vel ipſi convivæ, aut ſaltem ſciſſores ſive carptores in menſis utebantur: horum manubria videtis duo ænea, unum vetuſtate exeſum, alterum integrum, ejuſdem ſpeciei utrumque: erant autem ex eo cultellorum genere quos plicatiles vocamus, quoniam ferrea eorum acies retro in capulum flexa condebatur; in noſtrorum altero ferri reliquiæ adhuc cernuntur, in utroque, ut in annulo *Firminæ* apud [2] *Ennodium*,

---

1 De inſignibus Pontif. 2 Epig. XCVIII.

Im-

Immobilis ſtantem fugitat lepus arte
Moloſſum.

quam figuram canis leporem inſectantis ante in fictilium fragmentis uſitatam notavi; quo ſymbolo, niſi temere illud adhibuit artifex, *Romanorum* hic commorantium in lepore venando ſtudium exprimi putarem; erat quippe apud illos id animal in deliciis, atque

[1] *Inter quadrupedes gloria prima lepus.*

canes vero iſtiuſmodi venationi maxime idoneos *Britanniam* habuiſſe teſtatur [2] *Nemeſianus:*

——— *diviſa* Britannia *mittit*
Veloces, noſtrique orbis venatibus aptos.

Et quanquam narret [3] *Cæſar*, "*Britannos* le-
"porem & gallinam & anſerem guſtare fas non
"putare, hæc tamen alere animi voluptatiſque
"cauſa," *Romanos* ſcimus non tam fuiſſe ſuperſtitioſos.

71. Habeo ad rem veſtiariam pertinentes fibulas, acus, bullas: fibularum quidem innumeras fere ſpecies: inter quas quædam, affabre ſatis atque artificioſe conſtructæ, vel aurei ſputi, quo oblinebantur, notas, vel inuſtorum

---

1 *Martialis* Epig. XIII. 92. 2 In *Cyneget.* 3 De bello *Gall.* V. 12.

CO-

colorum varietatem, vel palas ſive ſaltem πυξ-λίδας, in quibus olim gemmæ, habent. Sed has miſſas facio, præter unam, quam, propter ſimplicem rudemque operam, *paupertinam* voco; nullam quippe habet juncturam, ornamentum nullum, cum nudum filum, æreum, craſſiuſculum ſit, in fibulæ ſpeciem uſumque inflexum; alteramque, quam, cum ex ebore fit, nequeo non producere; nec tamen produxiſſem, niſi ut occaſionem captarem à vobis Viris doctiſſimis quærendi, quamobrem [1] *Strabo* de mercibus, quæ ſuo tempore à *Britannia Gallia*que ultro citroque vehebantur, loquens, ἐλεφάντινα ψάλια, ſive eburnea fræna, ῥῶπον ſive vilem mercem vocet. Quomodo enim ebur apud illas gentes vile eſſe poteſt, apud quas elephantes nulli? quomodo id nullius apud *Gallos Britanno*ſque valoris, quod etiam [2] *Romæ* ingentis pretii habebatur? Cum *Salmaſium* hic advocandum moneret *Whartonus*, utpote qui locum *Strabonis* aliter quam [3] *Caſaubonus* interpretaretur; præſtat, inquam, criticum illum ἀπεριτολόγον non moventes, ad alia procedere. Bullarum frequens apud veteres mentio; [4] *Ma-*

1 Geogr. IV. p. 138. 2 *Plin.* Hiſt. Nat. VIII. 10. 3 *Plin.* exercit. p. 245. 4 *Saturn.* 6.

crobius

Bullæ in pyxidis morem cavæ pars anterior.





Reverendo admodum in Christo Patri Martino Episcopo Glocestrienſi hanc Tabulam D.D.D. Ol. Battely.

Kircheri Capsula cum Harpocrate incluso.



Amilla aurea



Lapis Heliotropius, cujus utrique facici Harpocrates insculptus est; Quem Cuperus pag. 256. ad amuleta refert; annulus autem vertici affixus eidem usui, cui Bullæ, accommodatam fuisse ostendit.

Sapphiris distincta.





Ephippium pag. 131.



Catenulæ æneæ pag. 131.

crobius ait duplicem fuiſſe bullæ uſum, primum, "quod ingenuis pueris attributum ſit, "ut cordis figuram in bulla ante pectus anne-"cterent, quam inſpicientes, ita demum ſe "homines cogitarent, ſi corde præſtarent:" ſecundum, "quod geſtamen eſſet triumphan-"tium, quam in triumphis præ ſe gerebant, "incluſis intra eam remediis, quæ crederent "adverſus invidiam valentiſſima." Utrique uſui noſtras convenire videtis; non ſolum enim in cordis figuram ſtructæ, ſed & eadem inſculptæ ſunt; & in pyxidum morem cavæ, excipiendiſque amuletis aptæ: quæ autem illa amuleta fuerint neſcio, niſi forte *Harpocrates* erant; quales icunculas unciales manu altera ad os admota, & eodem loco ſimul cum bullis repertas, conſervo. Cui ſane conjecturæ illud favere videtur quod è *Kircheri OEdipo Ægyptiaco* citat [1] *Cuperus*; "capſulam "in formam cordis, in cujus meditullio *Har-*"*pocrates* nudus, infans, labiis digito appo-"ſito, ſilentium ſuadens poſitus ſpectatur." *Harpocratis* vero imaginem inter amuleta fuiſ-

1 *Harpocrates*, p. 158.

ſe, non ſemel nos docet *Cuperus* in erudito ſuo opere.

72. Hic paululum ſubſiſtens erubui, cum me garrulitatis tam prolixæ ſatis puderet; & ſi quid, inquam, videatis in hac ſtrue, de quo me interrogare vultis, id facitote; etenim in hoc campo longius quam debui ſine ductore me vagatum eſſe agnoſco: quæ quidem cautio in fine orationis, quamvis ad errati emendationem ſera nimis ſit, quoniam tamen illius confeſſionem in ſe continet, ad facti deprecationem veniamque impetrandam valere debet. Nimium, inquit *Mauritius*, & nobis & tibi ipſi diffidis; quod ne amplius facias, de re una vel altera adhuc interrogabimus. Video hic innumera fere fila ex ære, tenuia quidem, ſed omnia ejuſdem formæ, in annulos flexa extremitatibus contortis; ferrea illa omnino referunt, quæ porcorum roſtris inſerunt ruſtici; illorum uſus, quandoquidem ea conſervas, tibi ignotus eſſe nequit. Quamvis, inquam, nihil certi de illorum uſu affirmare poſſum, cum tamen acervatim in litore *Regulbino* occurrant, quid de iis ſentio dicam. Erat thoracis genus, quod ἁλυσιδωτὸν veteres appellabant, quoniam *Julio Polluce* teſte ἐξ ἁλύσεων. i. e. catenulis ſive annulis,

nulis, contexi ſolebat: genus hoc [1] *Virgilius* ita deſcribit,

Loricam conſertam hamis, auroque trilicem.

[2] *Sidonius* quoque, non *Virgilio* elegantius, ſed aliquanto quoad rem noſtram expreſſius

——————— *nec ſutilis illi*
Circulus impactis loricam texuit hamis.

ubi hamos, annulos ſive circulos interpretantur [3] Lexicographi, loricaſque annulatas vocat [4] *Choulius*: quid igitur prohibet quin noſtros annulos loricis hamatis contexendis olim inſerviiſſe credamus? De hamis, quos vides, piſcatoriis non attinet loqui, quoniam à noſtris ſola materia differunt, niſi quod barbati aut nunquam erant, aut, quod raro contingit, vetuſtas eos imberbes facit. Mihi, inquit *Whartonus*, interrogandi partes jam permittite; erit autem interrogatio ſimplex. Lunula, quam cerno, ænea edita eſt atque explicata in *Societatis Regiæ* [5] *actis Philoſophicis*, tanquam res turpicula, & quaſi φάλαμμα contra faſcinum puerorum collis appenſum; Tune vero ita cenſes? minime, inquam, nam hujuſmodi lunata monilia

---

1 *Æneid.* III. 2 In Panegyrico ad *Anthemium.* 3 *Calepini* editor. *Martinius Nebriſſenſis.* 4 De caſtrametatione Vet. *Romanorum*, p. 15. 5 Num. 176.

pro ornamentis in equorum pectoribus appenſa in columna *Trajani*, quam poſt *Ciacconium* [1] *Petrus Bellorius* edidit, videmus. Multa ſuperſunt; ſed quoniam de claſſe, in quam referri debent, adhuc dubito, ea omitto; & miſſionem puto vos quoque jam poſtulare; quam æquum eſt vobis dari.

73. Nolumus, ait *Mauritius*, ultra te laceſſere; quandoquidem vero te multa diligentia in his antiquitatis monumentis congerendis uſum eſſe videamus, illud fortaſſis harum rerum ſtudioſis non minus utile quam gratum eſſet, ſi moneres quid in iis comparandis Tu ipſe feceris. Illud, inquam, paucis narrabo; *Regulbium*, propter vetuſtatis famam celebre, adivi; incolas, qui antiquitatis monumentis inquirendis operam dabant, conveni; monui, ne nummos, quos æruginoſos invenirent, arenis, aut alio modo atterendo mundarent; quippe eo malo quam plurimos optimæ notæ obliteratos videram; ne quid æris omnino fabris ærariis venderent; ſed ad me, majori pretio redimendum, afferrent; ne urnas ollaſve frangerent; fractas ſi inveniſſent, literis notiſve

---

1 v. 59. LXXIII. 257. LXXIX. CVI.

in-

inſcriptas, ad me apportarent; atque hinc ea, quam videtis, *Romana*, quamvis curta, ſupellex. Quid autem, inquit *Whartonus*, aliis in locis faciendum cenſes? Si cui, inquam, in animo eſt vetuſtatis reliquias quærere, tumulos perfodito; caſtra, valla, & loca iis vicina perſcrutator; vias publicas, antiquas indagato; [1] ſepulchra, quæ fere propter vias ſunt, religionis metu vacuus, aperito, rimator; clivorum ruinas ſedulus explorato; antiquitatis veſtigia, ſi reperierit, inſequitor; ejuſque rei peritos advocato; nummos ſi vel in acervo cumulatos, vel in urna ollave concluſos effoderit, ultimos notato; ii etenim tempus quo defoſſi ſunt, proxime indicabunt; res inventas inſpiciendi nulli docto copiam denegato; inſcriptiones ſi occurrant, accurate exſcribito; abſque invidia communicato. Atque hæ rerum antiquarum ſtudioſis leges ſunto.

74. Recte, inquit *Mauritius*, rogas; nec nos rogationi intercedimus, quinimo aſſentimur; pudet ſane nos horum ſtudiorum adjumenta, atque ſubſidia, caſui fortunæque foſſorum, non autem induſtriæ noſtræ accepta referre; pudet

---

1 *Kirkmannus* de funeribus, p. 509.

an-

antiquitatis ſcientia eos gloriari, qui, corraſis aliquot nummulis, nec ipſi eos intelligunt, nec aliis explicandos permittunt, quaſi rerum antiquarum poſſeſſione ſola doctorum nomen mererentur; pudet tot theſauros ſive in indoctorum, ſive invidorum muſêis, tam procul ab uſu remotos, abditos latere, quam ſi adhuc in intimis terræ viſceribus eſſent. Noli, inquam, *Mauriti*, illud aut inſcitiæ aut invidiæ tribuere, ſed potius rerum naturalium ſtudiis, quibus metuo, ne ut diligenter ſatis, ita inutiliter nimis, occupati ſimus; [1] quot pedes ſuos pulex ſaltet, metiri; qua parte culices ſonum edant, diſquirere; muſcarum oculos intueri; pennas in volucrum alis numerare; ſanguinem in gyrini cauda ſalientem contemplari; hæ ſunt noſtræ artes: quas non damno, imo probo laudoque, quando aut vitæ humanæ commodis procurandis, aut ſummi æternique artificis gloriæ promovendæ inſerviunt; nuda vero ſi ſint theoremata, nec ad ullos uſus accommodata, nequeo non ægre ferre propter ea antiquitatis ſtudium è republica literaria exturbari, ejici, exterminari; quod tamen factum eſſe, quis non videt? quare factum

1 Ariſtophan. in nubibus, Act. 1. Sc. 2.

ſit,

ſit, quis neſcit? ſcilicet facilius eſt res in oculos noſtros ſive perſpicillorum, ut vocant, ope ſive ſimplici obtutu incurrentes, notare, atque deſcribere, quam de antiquitatis monumentis recte judicare; quod multiplicem veterum poetarum, hiſtoricorum, medicorum, juriſperitorum, architectorum, itinerariorum, geographorum, grammaticorum, rei agrariæ, militaris, naturalis, ruſticæ ſcriptorum lectionem requirit; nec non etiam recentiorum, qui de re nummaria, veſtiaria, vaſcularia, de ponderibus & menſuris, de *Romanorum* conviviis, funeribus, ludis, aliiſque eorum moribus & conſuetudinibus, ſcripſerunt; ita inſtructos cum oportet ad hanc rem accedere, qui eam pro dignitate cumque fructu tractare cupiunt, ſcio quam me mea redarguat oratio; ſcio quid vos intus in animo habeatis, quamvis illud pro humanitate atque amicitia, qua me proſequimini, eloqui nolitis; ego tamen enunciabo; me ſcilicet temerarie huic operæ manum admoviſſe, cum ad id faciendum minime inſtitutus ſim; equidem fateor; ſed quid interim facerem? conſiderabam res noſtras *Regulbinas* non tam magni eſſe momenti, ut docti alicujus viri contemplationem curamque mererentur; nec tamen

men tam exigui aut nullius pretii, ut omnino negligi, aut prorſus abjici deberent. Cujus autem ſive otio ſive labore, in his nugis exponendis, potius abuterer quam meo? neque tamen vel illud à me tam ſponte ſuſceptum eſt, quam doctorum virorum, veſtrique ſimilium, juſſis extortum; ad quæ accedebat ingens illud deſiderium, quo tenebar, alios ad eadem ſtudia excitandi atque provocandi.

75. Multi habent & muſêa & bibliothecas noſtris locupletiora, inſtructiora; multi & otio magis abundant, & ingenio plus pollent. Ampla ſupereſt laudis materies in hoc ſtadio decurrere volentibus; reſtant *Londinum*, *Eboracum*, *Lindum*, *Verolamium*, *Camulodunum*, aliaque fere innumera *Britanniæ* loca, effoſſis nummis monumentiſque clara, ſed Antiquariorum opera atque labore adhuc magis illuſtranda. Eſt *Ptolemæi Geographia* rurſus ad calculum revocanda, atque accuratius expendenda; locorum diſtantiæ, quas illa per longitudinis latitudiniſque gradus computat, cum *Itinerarii Antonini* milliaribus, qua fieri poteſt diligentia, conferendæ; quod opus non memini adhuc à quopiam tentatum. Inveſtiganda ſunt magis exquiſite loca *Britanniæ*, quæ in præclaro illo,

quod

quod modo laudavi, *Itinerario* recenſentur; ad quod opus *Talbotus* noſter primus viam aperuit; *Camdenus* ſumma cum doctrina optimum judicium, *Burtonus* diligentiam maximam attulit; *Galêus* commentarium promiſit, atque dediſſet, niſi mors illius conſilium prævenisſet[1], palma illa aliis reſervata; nec defuturos ſpero, qui eam utraque manu rapiant. *Tabulæ Peutingerianæ*, atque *Notitia provinciarum* non negligenda; uti nec index geographi *Ravennatis Anonymi*; qui quidem, etiamſi barbariem redolere videatur, non eſt tamen rejiciendus, quoniam multa habet locorum nomina, quæ nuſquam alibi occurrunt; unde ea hauſerit neſcio, niſi viderat fortaſſe *Ammiani Marcellini* librum nunc deperditum; in quo ſe *Britanniæ* ſitum pro captu virium explanâſſe[2] dicit: in cujus quidem libri jactura, quamvis ingens damnum fecerit res noſtra Antiquaria, ex iis tamen quæ ſuperſunt monumentis, ſi probe conferantur, ſi veterum codicum ope reſtituantur, ſi adhibita diligentia recte explicentur, quis non videt magnam lucem hiſtoriæ noſtræ impertiri poſſe? In omnis autem hi-

1 *Antonini* Iter *Britanniarum* Commentariis *Th. Gale* S.T.P. illuſtratum auxit, ediditque *Roz. Gale Th.* F. *Lond.* 1709. 2 XXVII. 8.

ſtoriæ ſcientia quam utilis, imo neceſſaria ſit, geographiæ cognitio, neminem latet. Habetis, amiciſſimi viri, meam de optima Antiquitatum inveſtigandarum ratione ſententiam. Non ii certe Vos eſtis, qui monitore egeatis; ſed veſtræ, quæ plurimum apud me valet, poſtulationi morem geſſi, non aliàs audiendi diſcendique à vobis fructum voluptatemque amiſſurus.



INDEX SCRIPTORUM,

Qui in hoc opere citantur, illuſtrantur, emendantur.

In quo Numerus paginam denotat.

A

ACTA Philoſophica R. S. 57, 66, 131.
Ægidii Buchcrii Belgium Romanum 38, 46.
Ælius Ant. Nebriſſenſis, in Dictionario 22, 45.
Alanus ab inſulis 30.
Ammianus Marcellinus 29, 40, 48, 50, 74, 137.
Anglia Sacra 15.
Annales Monaſterii D. Auguſtini MSS. in Bibliotheca Aulæ Trin. Cantab. 9, 20.
AnonymusRavennas28, 50, 52, 137.
Antonini Itinerarium 23, 28, 50, 63, 72, 74.
Apollonius Rhodius 68.
Apuleius 116.
Ariſtophanes 134.
Ariſtoteles 67.
Auli Gellii Noct. Attic. 76, 121.
Auſonius 27, 28, 50.

B

Baluzius in Lactantium 99.
Barbarus, comment. ad Vitruv. 55.
BeatusRhenanus, rerum Germ. 51.
Beda, Hiſt. Eccleſ. 9, 45, 52, 78.
Bedæ continuator 83.
Bellorius (Petrus) 132.

C

Cæſar de bello Gallico 32, 46, 52. 63, 65, 68, 71, 75, 76, 77, 78, 109, 127.
Calepinus in Dictionario 117.
Calepini Editor 131.
Calvini Lexicon Juridic. 19.
Camdenus 17, 20, 21, 23, 30, 43, 45, 48, 86, 87.
—— Addenda Anglica ad Camdeni Belgas 96.
Camers (Jo.) in Solinum 42.
Canuti Regis Charta de portu de Sandwic. 14.
Carolus à Fraxinis (*du Freſne*) de portu Iccio 69.
----de inferioris ævi numiſmat. 85.
——Autor notarum ad Caroli de Fraxinis portum Iccium 32.
Caſaubonus in Strab. 72, 128,
Celſus, de re medica 118.
Chariſius Grammaticus 123.
Chifflet. (Jo. Jac.) de portu Iccio 72.
Choulius, de caſtrametatione veterum Romanorum 131.
Chronici Joanni Bromton aſcripti autor 11.
Chronic. Saxon. 11, 12, 59, 83.
Chryſologi Homil. 19.
Cicero 51, 66, 78, 100.
Cluverii Germania Antiqu. 32, 34, 52, 65,
Colleſſo (Vincentius) Comment. in Martial. 121, 122, 123
Columella, de re ruſtica 57, 107, 120.
Comment. MS. de Dorenſis Caſtelli initiis. in Bibl. Cotton. 49.
Cuperi Harpocrates 129.

T Da-

INDEX SCRIPTORUM

D

Darellus MS. in Bibl. Cotton. 69.
Diodorus Siculus 34, 73.
Dion Caſſius 31, 39, 64, 67, 72.
Dominicus Marius Niger, Geograph. 22.
Domitius Calderinus 125.
Dugdali Monaſticum 12, 13.

E

Encomii Emmæ autor, inter ſcriptores Hiſtoriæ Normanniæ 17.
Ennodii Epigrammata 126.
Evidentiæ Eccleſiæ Centuarienſis inter X ſcriptores 14.
Eunapius 40.
Eutropius 97.

F

Fabricius de Peireſco (Nicolaus) in Epiſtola ad Camdenum 90.
Favorinus 47, 62.
Florent. Wigorn. 11.
Florus 72.

G

Galêus in notis ad Nennii Hiſt. 18.
Galfridus Monemuthenſis 18, 70, 73.
Gibſoni Explanat. nominnm locorum, in fine Chron. Sax. 12.
Gildæ Hiſt. 78.
Gruteri Inſcript. 31, 86.
Gyraldus Cambrenſis 15, 112.
Gyraldus (L. Greg.) de poetis Latinis 48.

H

Harriſoni Britan. deſcript. 12, 59.
Henricus Huntingdonenſis 11.
Herodianus 95.
Homerus 47.
Horatius 48.

I

Jovius (P.) in Angliæ deſcript. 22.
Journal des Scavans 80.
Juliani Epiſt. ad S.P.Q. Athen. 40.
Juris Civilis Corpus 111.
Juſtinus 61.
Juvenalis 30, 31, 50, 117.

K

Kirkmannus, de Funeribus 133.

L

Laberius 27.
Lactantius de mortibus perſecutorum 99.
Lambardus 12, 39, 59.
Langhorn, in Chronic. regum Angl. 18.
Latinus Pacatus in Paneg. Theodoſio dict. 27.
Laurembergii Antiquar. in Rutuba 47.
Lelandus (Jo.) 24, 39, 41.
Leunclavius (Jo.) 67.
Lhwydus (Edw.) 22, 112
Licetus in lib. de acia; de annulis 114.
Lipſius, Epiſt. ad Belgas 112.
Lucanus 28, 45, 49, 50.

M

Macrobius 27, 100, 128.
Malbranquius (Jac.) de Morinis 49.
Malmesburienſis (Will.) de geſtis Pontif. 71, 83.
Martialis 121, 122, 124, 127.
Martinius Nibriſſenſis 131.
Matthæus Weſtmonaſt. 17, 23, 24, 73.
Mercurialis (Hieronymus) de arte Gymnaſt. 114.
Merulæ Coſmographia 72.
Michael Angelus Cauſêus de inſignibus Pontif. 126.
Molinetus (Claudius) 114.
Mureti (Ant.) var. Lect. 44.

N

Nemeſianus, Cyneget. 127.
Nennii Hiſt. Brit. 16, 26, 48, 70.
Nonius. Marcellus 47.
Noris (Cardinalis) in explicat. nummi Dioclet. 97.

Notitia

INDEX SCRIPTORUM

Notitia Imperii Occidentalis 21, 23, 24, 29.
Notitia Provinciarum 50, 74, 137.

O

Occo 76.
Offæ Regis Charta 19.
Onuphrii Panvinii Fasti 86.
Orderici Vitalis Hist. Eccles. 46.
Orosius 28, 45, 50, 51.
Ortelii Thesaur. Geograph. 33.

P

Palladius, de re rustica 57.
Pancirollus (Guidus) 23, 24.
Persius 116.
Petavius (Paulus) in antiquaria supellectile 105.
Peutingerianæ tabulæ 23, 28, 50, 137.
Philander in Vitruvium 55.
Pignorius (Laurent.) de servis 114.
Plato, in Phædone 28.
Plautus 118.
Plinii nat. hist. 26, 45, 51, 55, 57, 72, 73, 93, 115, 118, 120, 125, 128.
Plottus in additamentis ad Camdeni Cantium 15, 85.
Plutarchus 42, 68.
Pollux (Julius) Onomast. 125, 130.
Polychronici Autor. 71.
Pomponius J. C^tus. 100.
Pomponius Mela 72.
Pratæus (Ludovicus) Comment. in Juvenal. & Pers. 117, 118.
Procopius 44.
Ptolemæi Geograph. 28, 34, 50, 74, 136.

Q

Quercetanus, sive *Du Chesne* Hist. Angl. 64.

R

Rei agrariæ scriptores 19.

S

Sallustius 78,
Salmesius, exerc. Plinian. 42, 114.
Scribonius Largus de comp. med. 118.
Senecæ Epist. 111.
Sidonius in Panegyrico ad Anthemium 131.
Simeon Dunelmensis 13.
Sirmondus (Jac.) 89, 123.
Smetius in Antiquitat. Neomagensibus 106.
Solinus 9, 40.
Somnerus 10, 11, 15, 17, 22, 24, 26, 36, 56, 63, 69.
Spanhemius de præstant. numismatum 90, 98.
Spartianus 83, 94.
Statius 21.
Stephani Thesaur. Ling. Lat. 117.
Stillingfleetus, Wigorn. Episc. 7, 18, 75.
Stoveus, in Lond. 71.
Strabo 34, 36, 40, 71, 72, 73, 128.
Suetonius 44, 73, 76.
Symposius in ænigmat. 116, 119,

T

Tacitus 21, 28, 29, 50, 51, 73, 86, 89.
Thorn 13.
Twinus 13, 22, 59.
Tzetzes 44.

V

Vaillantius, de nummis percussis in Claudio 86.
Varro, de lingua Latina 77.
Vegetius, de re militari 25.
Venantius Fortunatus 6, 19.
Verrius Flaccus Grammaticus 76.
Vibius Sequester 45.
Virgilius 6, 37, 48, 131.
Vitruvius 24, 26, 53, 55, 57, 111.
Vossius Jo. Gerrard. 123.
Usserii Eccles. Britan. Antiq. 7, 17.

W

Walkerus, in hist. Græca & Rom. è nummis illustrata 80.

X

Xylander (G.) 67.

Z

Zosimus 28, 40.

ERRATA

In Antiquitatibus *Rutupinis*.

Pag. 8. lin. ultimâ. pro Tab. v. lege IV. P. 20. l. 9. inter *indicaſſi* & *ibi* inſere comma. P. 45. l. 23. dele comma inter *Rutubi portum*. P. 46. l. 12. pro accerſeri lege accerſi. P. 53. l. 3, 4. pro Septentrionibus lege Septentrionalibus. P. 60. l. 19. pro videretut lege videretur. P. 76. l. 19. pro *Flaccnm* lege *Flaccum*. P. 114. l. 25. pro in libro de annulis. lege in libro de aciâ; de annulis.

In Antiquitatibus S. *Edmundi* Burgi.

P. 7. dele parentheſin l. 12, 15. et ante *tandem* inſere &, ut eadem ſententia legitur p. 126. P. 24. l. 9. pro proficiſenti lege proficiſcenti. P. 36. l. 2. pro XV. lege XVI. P. 44. l. 15. ante *Baldwinus* inſere 2. P. 48. l. 18. pro deſpiciamus lege diſpiciamus. P. 56. l. ult. ante Prioratûs inſere Regiſtrum. P. 52. l. 15. pro ſitæ lege ſita. P. 63. l. 15. pro deligebatur lege diligebatur. P. 68. l. 22. poſt cingenda inſere impenſam. P. 74. l. 14. pro 2. lege 3. & l. ultimâ ante N. XVI. inſere 3 P. 83. l. ult. dele Append. N. XX. P. 89. l. 13. & 22. pro *Bedford* lege *Bedeford*. l. 14. pro Foedorum lege Feödorum. item. P. 63. l. 3. & alibi pro fœdum lege feödum, pro fœda feöda &c. P. 97. l. ult. pro XXIII. lege XXV. P. 117. l. 2. inter *eodem* & *cœmeterio* inſere in. P. 134. pro *Edmunds* lege *Edmundes*.

OPERUM POSTHUMORUM

J. BATTELY

S. T. P.

PARS ALTERA.

ANTIQUITATES

S. *Edmundi Burgi*

AD

ANNUM MCCLXXII.


PERDUCTÆ.

AUTORE
JOANNE BATTELY S.T.P.
Archidiacono CANTUARIENSI.

OPUS POSTHUMUM.

OXONIÆ,
E THEATRO SHELDONIANO,
A. D. MDCCXLV.

Jos: Banks



Portæ ad Monasterij septa ducentis
ab OCCIDENTE PROSPECTUS.



1. Eccles S. Maria. 2 Eccles S. Jacobi 3. Monasterij porta magna.
4 Area Monasterij ruinis deformis.

Antiquitates S. Edmundi Burgi.

VILLAM FAUSTINI, quæ in *Antonini Itinerario* occurrit, eam eſſe quam nunc *Sancti Edmundi Burgum*, & *St. Edmund's Bury* vocamus, *Talbotus*, *Camdenus*, *Burtonus*, viri antiquitatum noſtrarum peritiſſimi, recte conjicere videntur: unde autem id nomen traxerit, neminem adhuc vel conjectare auſum reperio.

Fauſtinos quidem, *Notarios*, *Præſides*, *Præfectos Urbi*, *Præfectos Prætorio*, *Prætores*, *Conſules*que

ſuleſque nobis ſuppeditant [1] *Faſti Conſulares*, [2] *Marmora Antiqua*, [3] *Hiſtoriæ Romanæ* ſcriptores, Codices [4] *Juſtinianeus* & [5] *Theodoſianus*: an vero horum aliquis villæ noſtræ nomen dederit, quis dixerit†?

Effoſſo aliquot abhinc annis in vicinis campis *Fauſtinæ* nummo, ſtatim ſuſpicatus ſum *Villam Fauſtinæ* in *Itinerario* ſcribendum eſſe: ſed cum *Fauſtina* ubique fere jaceat, ubique effodiatur, nihil inde certi erui poteſt.

Loci tamen, cum mihi ſit natale ſolum, ſuadet amor, ut quæcunque de eo ſcripta apud autores ſive editos ſive ineditos invenire potero, undique collecta in unum acervum congererem.

Poſt *Anglorum* adventum vocari cæpit Bebepicſ-ȝueorþ; in quo vocabulo (licet variè admodum apud varios autores ſcribatur, ut *Saxonica* fere ſolent) *Camdenus* putat antiquum nomen Romanum latere; rationes ejus qui ſcire cupit, [6] ipſum adeat.

---

1 Ad A. V. C. MXV, & CMLXIII. 2 *Onuph. Panvinius* & *Gruterus*. 3 *Trebell. Pollio* in *Galienis*. *Æl. Spart.* in *Ant. Geta*. *Am. Marcellinus* lib. XXX. 4 *Cod. Juſt.* Lib. 3. Tit. 32. de rei vendic. L. 1. 5 Lib. XI. Tit. IX. L. 2. de diſtrahendis pignoribus. Lib. XIII. Tit. V. L. 34. de navicularіis. † In margine Autoris manu ſcriptum additur, Niſi forte id fecerit *Fauſtinus* ille, quo Conſule *Severus Eboraci* fuit. Vide *Cod. Juſt.* L. 3. Tit. 32. L. 1. 6 In appendice N. 1.

Clau-

[1] *Claudius* Imperator *Britanniam* ob non redditos transfugas tumultuantem aggreſſus eſt. Expeditionis autorem *Bericum* narrat [2] *Dion Caſſius.* Βέριχος γὰρ τὶς ἐκπεσὼν ἐκ τῆς νήσου καὶ ἐς Γαλάτας ἐλθὼν τὸν Κλαύδιον δύναμιν εἰς αὐτὴν πέμψαι. "Si hujus *Berici* villam "fuiſſe dicerem (inquit *Camdenus*) ipſe mihi "neutiquam crederem. At verò *Quercetanus*, vir doctiſſimus, ab hoc *Berico* nomen villæ inditum fuiſſe, diſertè aſſerit. Utra ſententia verior ſit judicium penes eruditos eſto. Id tantum addam, quod ſi *Berico* nomen hoc referendum ſit, non dubitarem *Bericanas*, quas [4] *Galèus* pro *Brigantio* ex Arabico μεγάλης Συντάξεως interprete ſubſtituit, hic figere, tam ob ſitus convenientiam, quam ob nominis ſimilitudinem.

Si Monachorum regiſtris & monumentis fidem malimus adhibere non tam altè repetenda eſt nominis hujus origo. Quid ergo dicant, ſaltem audire non pigeat. [5] "Dominus *Beodri-* "*cus*, Dominus villulæ, quæ nunc dicitur *Villa* "S. *Edmundi*, S. *Edmundum* hæredem ſuum

---

1 *Sueton.* in *Claudio* Cap. XVII. 2 Lib. LX. 3 *Du Cheſne* Hiſt. *Ang.* pag. 209. *Par.* 1609. 4 In emendationibus ad *Ptolemæum* in calce Hiſtoricorum XV. &c. *Oxon.* 1691. pag. 788. 5 Codex MS. in Bibliotheca Coll. *Trin. Cantabr.* & Reg. Rubr. B. F. 1.

"conſtituit." --- [1] "Cellerarius habebat meſſua-
"gium & horrea ſua juxta fontem *Scurumi*" —
"quod meſſuagium cum horto adjacente, quem
"nunc Infirmarius tenet, fuit manſio *Beodrici*
"qui fuit antiquitus Dominus villæ iſtius, un-
"de & villa dicta fuit *Beodriceſworth.*" [2] Item, "*Bury* contulit S. *Edmundo* Dominus
"*Beodricus* ſive *Beodricius*, ex cujus nomine
"*Beodricheſworth* nuncupatur i. e. *Beodrici vil-*
"*la.*" --- Et alibi in eodem Regiſtro, "[3] Scien-
"dum quod quædam terræ Cellerarii in campis
"S. *Edmundi* ſunt de antiquo dominico quondam
"*Beodrici*, quædam verò de poſt adquiſitis, un-
"de varius decimandi modus." Ejuſdem fili eſt [4] Inſpectio Chartarum hujus Cœnobii facta Regnantibus *Philippo* & *Maria* & Sigillo eorundem munita, in qua legimus, --- "quod Ab-
"bas S. *Edmundi* fuerit ſeiſitus de Burgo præ-
"dicto in Dominico ſuo ut de feodo in jure mo-
"naſterii ſui de *Bury* S. *Edmundi* à toto tem-
"pore prædicto. Eo quod Dominus *Beodricus*,
"ante conqueſtum *Angliæ* Dominus prædictæ
"villæ, fuit ſeiſitus de eadem villa in Domi-
"nico ſuo ut de feodo, & ſic inde ſeiſitus diù

---

1 Reg. in Officio Regiſtrarii *Burienſis*. & Reg. *Pinchbeck* F. 160. 2 Reg. *Pinchbeck*. 3 Ibidem Fol. 167. 4 In Archivis *Burienſibus*.

ante

"ante eundem conqueſtum, & ante mortem "& martyrium S. *Edmundi* Regis & Marty- "ris conſtituit eundem *Edmundum* hæredem "ſuum, & obiit; poſt cujus mortem S. *Edmun-* "*dus* Rex fuit inde ſeiſitus in Dominico ſuo "ut de feodo" &c. Hæc clara ſatis, aperta & firma, modo non vacillaret Chartarum iſtius ſeculi fides, in quibus fundata ſunt. Sed ſi reputemus quam liberè quam magnificè ejuſmodi donationes fingere ſolent id genus hominum quos *Monachos* vocant, præcipuè vero *Benedictini*, omnia ſtatim corruent, aut ijſdem quibus antea tenebris involventur.

Verbo dicam, quid de hujuſce nominis origine ſentiendum ſit, planè neſcio; in aliorum ſententiis referendis fidem qua potui diligentia liberavi: procedamus jam ad certiora.

Sigebertus Orientalium Anglorum Rex, ſtatim poſt jacta in hac provincia Religionis *Chriſtianæ* fundamenta per prædicationem *Felicis Burgundionis*, Monaſterium cum Eccleſia in honorem *B. Mariæ* infra hanc villam conſtruxit, conſtructum ipſe circa A. D. DCXXXVII. intravit rebus æternis ibidem vacaturus.

Hæc ne gratis dicta videantur teſtes adhibeamus;

mus; primo [1] *Bedam* hæc de *Sigeberto* narrantem. "Tantum Rex ille cœleſtis regni amator "factus eſt, ut ad ultimum relictis regni negotiis, & cognato ſuo *Ecgrico* commendatis, "qui & antea partem ejuſdem regni tenebat, "intraret Monaſterium quod ſibi fecerat, atque "accepta tonſura, pro æterno magis regno militare curaret" &c. Quærendus jam reſtat locus quem condito Monaſterio nobilitavit *Sigebertus*. *Beda* nullum memorat: ſed *Bedæ* verba exſcribens [2] *Thomas Elienſis* loci nomen interſerit. "Monaſterium" (inquit) "quod in *Be*-"*tricheſwrde* ſibi fecerat, intravit" &c. Antiquus item codex MS. penes Reverendum Epiſcopum *Wigornienſem* Doctorem *Stillingfleet*, hæc ex antiquiori textu apud *Ely* citat; "Con-"ſtructum eſt Monaſterium *Elienſe* ab *Ethel*-"*berto* xxx. annos antequam Rex *Sigebertus* "Monaſterium intravit quod ſibi in *Betrichi*-"*ſerd* conſtruxerat." †

[3] Regiſtrum Cœnobii S. *Edmundi* è Chronicis *Crolandiæ* atque *Ceſtriæ* dicit manifeſtè col-

---

1 Eccl. Hiſt. Gentis *Angl.* lib. III. Cap. 18. 2 In vita *Ethildretæ* à *Dacherio* & *Mabillionio* edita in Actis *Benedict.* Vol. II. pag. 739. † *Ethelbertus* Eccleſiam *Elienſem* A. D. 607. fundavit; ac proinde *Burienſem Sigebertus* A. D. 637. Vide Chron. *Elienſe* in Bibliotheca *Lambethana*. 3 *Dugd.* Monaſt. vol. I. p. 291.

ligi

ligi poſſe quod "A. D. MXXI. *Aldwinus* con-
"ſtruere cœperit Eccleſiam S. *Edmundi* in eo-
"dem loco, in quo per *Sigebertum* primitus con-
"ſtructum erat Monaſterium, & in quo idem
"Rex devotus, habitu tectus monaſtico, vitam
"duxit regularem, tempore *Felicis Eaſt-An-*
"*glorum* Epiſcopi." In eodem quoque Regi-
ſtro [1] legimus "Anno Regis *Canuti* quarto i. e.
"A.D.MXX. introductos monachos *Benedictinos*
"383. annos poſtquam *Sigebertus* Rex *Eaſt-An-*
"*glorum* (qui apud *Bedriceſworth* prædictum
"monaſterium conſtruxerat, in quo accepta ton-
"ſura monachica æterno Regi *Chriſto* per mul-
"torum annorum curricula fideliter deſervi-
"vit,) tandem A. D. 637. à Rege Merciorum
"*Penda* interficitur, 234. annos ante paſſionem
"S. *Edmundi*." Labitur hic (ne quid diſſimu-
lem) Regiſtri Autor, dum anno 637. *Sigeber-
tum* à *Penda* interfectum ſcribit. Hic quidem
annus rectè fundationi Eccleſiæ congruit, nul-
latenus autem morti Fundatoris, quem conſtat
non ante annum 644. à *Penda* occiſum; quod
fic colligo; [2] *Anna*, qui *Egrico* ſucceſſit, annos x.
regnavit; ab eodem autem [3] *Penda* interfectus

1 Vide etiam *Caium* de Antiq. *Cantab.* Academiæ pag. 57. *Lond.* 1574.
2 *Jo. Bromton* inter x. ſcriptores *Lond.* 1652. pag. 748. 3 Chron. *Saxon.* ad A. D. 654.

eſt

eſt A. D. 654. regnare ergo cœpit A. D. 644. Errat ergo Autor notarum in præfationem *Jo. Spelmanni* in *Ælfredi* vitam, qui *Sigebertum* anno 638. à *Penda* occiſum [1] putat. [2] Regiſtri alterius Autor arbitratur, "quod parochia vil-"læ à tempore antiquo in memoria [3] S. *Mariæ* "Virginis fuerit conſtructa ab initio primæ "*Chriſtianitatis* iſtius provinciæ i. e. à tempore "primi prædicatoris felicis memoriæ & ſan-"ctiſſimi Epiſcopi *Felicis Orientalium Anglo-rum.*" In hac Eccleſia depoſitum erat S. *Edmundi* corpus, ita enim [4] Regiſtrum S. *Benedicti de Hulmo*; "Inventum eſt corpus S. *Ed-*"*mundi* Regis & Martyris abſque reverentia "& religione condigna in Monaſterio S. *Mariæ* "ligneo, apud villam *Bedrichſworthe* dictam, "ſub ſecularium clericorum cuſtodia conditum" &c.

His teſtibus ſi fidem adhibeamus, nec ſanè video cur adhibere non debeamus; liquidò apparet, ante S. *Edmundi* tempora fuiſſe hic Eccleſiam cum Monaſterio in honorem Beatæ

---

1 In notis ad Præfationem *Spelmanni* in *Ælfredi* vitam §. 7. 2 Reg. MS. J. C. Rubrum B. F. 67. & Reg. Sacriſtæ Fol. 24. 3 In margine Autoris manu additur, Hoc non de Eccleſia, quæ jam Parochialis eſt, intelligi debet. 4 *Dugd.* Monaſt. vol. 1. p. 286. Et Reg. Rub.

Mariæ

Mariæ conſtructam; Fundatorem ejus fuiſſe *Sigebertum Orientalium Anglorum* Regem; hoc denique fuiſſe Monaſterium, quod *Sigebertus* ſibi conſtruxit, & in quo monachum induit. Primus, imo ſolus omnium è veteribus (quod ſciam) qui aliter ſenſerit, eſt [1] *Gervaſius Dorobernenſis*; qui ex *Beda* (ut puto) malè intellecto ſcribit, *Sigebertum* in Monaſterio quod condiderat *Furſæus* (*Cnobhereſburgenſi* ſcilicet) monachum factum fuiſſe. *Gervaſium* è recentioribus ſecuti ſunt *Capgravius*, *Camdenus*, *Alfordus*, & fortaſſe alii; id certè minimè facturi, ſi *Bedæ* loca penitius inſpexiſſent. Ille capite XVIII. libri tertii ait, "*Sigebertum* Monaſte-"rium intrâſſe quod ſibi fecerat." Capite ſequenti dicit, "*Furſæum* curâſſe locum Mona-"ſterii, quem à præfato Rege *Sigberchto* accepe-"rat, velociſſimè conſtruere, ac Regularibus in-"ſtituere diſciplinis;" duo Monaſteria innuens, alterum *Burienſe*, quod *Sigebertus*, alterum [2] *Cnobherburgenſe*, quod *Furſæus* conſtruxit. Nullibi autem ſcribit *Sigebertum* Monaſterii, quod *Furſæus* condidit, incolam fuiſſe, quod diverſas *Bedæ* narrationes connectentes vel

1 Inter x. Scriptores *Lond.* 1652. p. 1636. 2 Hodie *Burgh-Caſtell* in Agro *Suffolcienſi*. Vide *Camdenum* in *Icenis*.

potius confundentes alii ſcripſêre. Denique ſi *Gervaſii* autoritas nobis obtendatur, ei opponimus [1] *Thomam Elienſem*, *Gervaſio* antiquiorem, aut ſaltem coætaneum; non S. *Edmundi* Monachum, ne partium ſtudio abductus cauſæ noſtræ faviſſe videretur; ſed alterius Monaſterii virum, cui ob vicinitatem locorum res noſtræ ignotæ eſſe vix poterant.

Sigebertum noſtrum hic miſſum facerem, ni operæ pretium putarem lectorem monere, *Baronium* ejus monachiſmum ſuſceptum anno DCXLIV. perperam tradidiſſe, nec minus errâſſe, cum *Felicis* prædicationem inter *Orientales Anglos* in annum DCXXVII. rejiciat.

Poſt *Sigebertum* unius & amplius ſeculi intervallo ſequitur *Ethelbrithus* ſive *Ethelbertus* Rex *Orientalium Anglorum*, miraculis apud nos patratis clarus, uti patet ex fragmento quod in [2] Rubro Regiſtro S. *Edmundi* inveni, quodque Regiſtri Autor è vita S. *Ethelberti* fol. 64. ſic exſcripſit. "Hæc autem omnia in civitate Re-
"gis facta ſunt, quam antiquitus *Orientales*
"*Angli* urbem *Baderogi* ſive *Beodriceſwortham*
"vocaverunt. Talibus igitur miraculis S. *E-*

1 Supra pag. 6. 2 Reg. Rubrum *Joannis Craddock* A. ſive Liber primus Allocationum.

"*thelberti*

"*thelberti* Martyris omnipotenti Deo placuit "adornare locum, quem conſanguineo ejus e- "gregio Regi & Martyri *Edmundo* præpara- "vit, & ipſius necdum exorti, & poſt marty- "rium incorrupti corporis, per ſecula cuſtodem "fore decrevit." Paſſus eſt *Ethelbertus* XX^mo. *Maii.* A. D. DCCXCIII. cujus Acta exhibent nobis *Henſchenius* & *Paperbrokius*, *Capgravius*, [1] *Joannes Bromton*, & [2] Autor vitæ *Offæ* ſecundi, qui eum *Albertum* vocat, quod nomen etiam ei tribuit † *Simeon Dunelmenſis.* Male Autor notarum ad præfationem *Jo. Spelmanni* in *Ælfredi* vitam, [3] *Ethelbertum* noſtrum anno DCCXLIX. per inſidias ab *Offa Mercio* trucidatum ſcribit.

[4] Poſt *Ethelbertum* pauci in *Orientali Anglia* regnaverunt potentes uſque ad S. *Edmundum* pro violentia *Merciorum.* Horum autem temporum luctuoſam faciem ita nobis depingit [5] *Jo. Bromton*, "Poſt S. *Ethelbertum* martyrii laureo "in flore juventutis coronatum, regnum *Eſt-* "*angliæ* per aliquot annos cum commotione "& deſolatione ſub Regulis & Tyrannis uſ-

---

1 *J. Bromton* Chron. p. 748. 2 In additamentis ad Hiſt. *Mat. de Par. Lond.* 1640. p. 23. 3 In notis ad præfat. *Spelmanni* §. 7. 4 *W. Malmsb. Lond.* 1596. p. 23. &c. 5 p. 754. † Ad A. D. 749.

"que ad adventum S. *Edmundi* Regis turba-
"tum duravit, quia illud regnum nunc Reges
"*Weſtſaxiæ*, nunc Reges *Canciæ* in dominio
"tenebant, nunc alicui, nunc aliquibus illud
"dabant; unde aliquando unus Rex ibi erat,
"aliquando multi Reguli, ultimus tamen *An-*
"*glorum* S. *Edmundus* ſub Rege *Weſtſaxiæ* ibi-
"dem regnavit, qui de *Saxonia* veniens, apud
"*Bury* in regem *Eſtangliæ* coronatur.

Devenimus jam ad S. *Edmundi* tempora, & ea quidem ſatis obſcura & incerta: non tam ob ſcriptorum paucitatem vel ſilentium, quod in prioribus contigit, quam ob eorundem in tradendis rebus negligentiam atque diſſonantiam; præcipue vero ob Monachorum malè locatam operam in excogitandis, malamque fidem in admiſcendis veritati hiſtoricæ fabulis. Hoc nomine queritur etiam [1] *Alfordus*, vir alioquin Monachorum partibus addictus, "eos [ſcilicet]
"nulla temporis habita ratione, Sanctorum vi-
"tas componentes, aërias circumſtantias rebus
"cæteroquin veris affuere." His difficultatibus involuti, ut certo, quàm fieri poteſt, pede eamus, ea teſtimonia primo loco ponam de quo-

1 Ad A.D. 854. §. IX.

rum

rum veritate, tam ob rerum ipſarum veriſimilitudinem, quam ob autorum gravitatem antiquitatemque, minus dubitandum cenſeam; alia deinceps addendo, quorum fidem penes lectores lubenter eſſe patiar.

Inter priores agmen ducat *Aſſerius Meneveniſis* S. *Edmundo* coævus. "[1] Anno (inquit) "DCCCLV. Rex *Edmundus Orientalium Anglo-*"*rum* glorioſiſſimus cœpit regnare VIII. Kal. "*Januarii* i. e. die Natalis Domini, anno æta-"tis ſuæ XIV" Et ſequenti anno in regem inunctus eſt, uti idem *Aſſerius* tam in annalibus quam in vita *Ælfredi*, teſtatur. [2] "Anno do-"minicæ incarnationis DCCCLVI. & nativitatis "*Ælfredi* X. (rectius VIII.) hoc eſt, anno ſe-"cundo *Karoli* Imperatoris III, anno vero regni "*Æthelwulfi Occidentalium Saxonum* Regis "XVIII. [3] *Nunberchtus Orientalium Anglorum* "Antiſtes unxit oleo, conſecravitque in regem "*Eadmundum* glorioſiſſimum cum gaudio mag-"no & honore maximo in villa regia quæ di-"citur *Burua*, in qua tunc temporis regalis ſe-"des erat: anno ætatis ſuæ XV. ſexta feria, "luna 24. die Natalis Domini." Ergo ſecun-

---

1 In Annal. ad A.D. 855. 2 In vita *Ælfredi* p. 4. *Franc.* 1603. 3 Legitur *Hunberchtus* in *Aſſerii* Annalibus à *Galeo* editis *Lond.* 1691. p. 126.

"dum

dum *Aſſerium Edmundus* integrum annum ſe pro rege geſſit, antequam ſolenniter in regem ungeretur: annum iſtum quomodo tranſegerit, docet nos *Galfridus de Fontibus* in [1] Hiſtoriola de pueritia S. *Edmundi*, quam circa annum MCL. ſcripſit. "Deduxerunt," inquit, "cau-
"tè *Eadmundum* ad quandam urbem antiquam,
"juxta priorum traditionem à Rege *Athla* con-
"ditam, quæ *Athelbuorh* ejus dicitur ex nomi-
"ne, i. e. civitas *Athlæ*. ---- Infra ipſius urbis
"mœnia per annum integrum degit, in quo
"ſpatio Pſalterium, quod in *Saxonia* cœperat,
"perdidicit.†" Hæc, antequam vel eligeretur à Populo, vel ungeretur ab Epiſcopo, de eo narrat *Galfridus*. [2] Sub hujus anni finem *Wintoniam* vocatus, concilio ibi ab *Æthelwolpho* celebrato interfuit v. Non. *Novembris* A.D. DCCCLV. Indict. IV. eique ſubſcripſit. [3] "Sequenti Natali
"die Domini coronatur in villa regia quæ dici-
"tur *Burua*."

Locum coronationis S. *Edmundi*, quem *Aſſerius Burua* vocat, *Jo. Bromton Bury* nominat, eumque ſecuti (ut puto) alii. *Camdenus*, nominum ſimilitudine deceptus, putat fuiſſe

---

1 M. S. in Bibl. pub. Acad. *Cant.* 2 *Spel.* Concil. vol. 1. p. 348. † Vide etiam *J. Prington* apud *Stovæum* pag. 64. *Lond.* 1615. 3 *Aſſerius* in vita *Ælfredi.*

Burne

Burne in Comitatu *Lincolnienſi*; in Annalibus enim *Aſſerii*, quos fortè manuſcriptos viderat, ſcribitur *Burna*. [1] *Matthæus Weſtmonaſterienſis* omnium, ut credo, rectiſſime, "in villa (inquit) "regia quæ *Bures* nuncupatur munus conſe- "crationis ſuſcepit." *Galfridus* enim *de Fontibus*, locum digito quaſi commonſtrans, ſic ſcribit. "Facta autem in illum acclamatione, at- "tollentes, læti *Suffolciam* deduxerunt, & in "villa *Burum* ad regni faſtigium promoverunt, "aſſiſtente *Hunberto* venerabili Antiſtite, *Ead-* "*mundum* in regem ungente & conſecrante. "Eſt autem *Burum* villa Coronæ antiquitus "Regiæ, certus limes *Eſtſaxiæ* & *Suffolciæ*, ſi- "ta ſuper *Sturiam*, fluvium æſtate & hyeme "rapidiſſimum." Hæc optimè conveninut loco, quem hodie *Bures* ſive *Buers* vocamus, & *Matthæi* ſcriptionem valde confirmant.

Eadmundi jam inveſtiganda eſt origo. [3] *Aſſerius* "ex antiquorum *Saxonum* nobili proſa- "pia oriundum, ataviſque Regibus editum" tradit, cui omnes ſuccinunt. [4] *Capgravius* (neſcio qua autoritate fretus) utrumque S. *Edmundi* parentem nominat, patrem *Alkmundum*,

---

1 Ad A.D. 155. 2 In Hiſtoriola MS. prius citata. 3 Annal. ad A.D. 866. 4 In vitis Sanctorum *Lond.* MDXVI. Fol. CVII.

ma-

matrem *Siwaram*. Cum verò vitam S. *Botulfi* Abbatis *Ikanhoenſis* a [1] *Mabillonio* editam legerem, ibique Regem quendam *Auſtralium Anglorum* nomine *Ethelmundum*, cujus mater *Siwara*, invenirem, ſtatim erroris hujus anſam me deprehendiſſe ſuſpicatus ſum; quam avidè Legendarum Scriptores arripientes, *Edmundo Siwaram* matrem dederant. Suſpicionem confirmavit [2] *Joannis Wallingford* judicium, qui de S. *Edmundo* ſcribens, idem fere ſuſpicatus eſt. Locum licet corruptiſſimè editum proferam. "Solent", inquit, "quidam "ad hunc ſanctum Regem retorquere ſatis [3] ac- "commodè quoad tempora & quod narratum "eſt ſuperius de Sancto *Bothulfo*, [4] &c". Huic itaque [5] Legendæ non dubito quin *Siwaram* S. *Edmundi* matrem debeamus. Eadem forte incunabula habuit *Alcmundus* pater: [6] in Legenda enim S. *Adalberti* Diaconi *Egmundæ* ab eodem *Mabillonio* edita, narratur quod "A. D. "MCCXCVI, circa feſtum B. *Bartholomæi* Apo- "ſtoli, *Florentius* Dei patientia Abbas Eccle- "ſiæ B. *Adalberti* in *Egmunda*, legationis mu-

1 In actis *Benedictinorum* Sec. III. partis Iæ. p. 5. 2 *J. Wallingford* Chron. inter Hiſt. *Ang.* ſcriptores à *Galeo* editos *Oxon.* 1691. p. 534. 3 Legendum eſt, incommodè. 4 Vide Appendicem N. II. 5 De vita S. *Botulfi*. 6 In Act. *Bened.* Sæc. III. pt. I. p. 645.

"nere

"nere fungens *Angliam* profectus eſt. Et cum
"perveniſſet ad locum, in quo corpus, ſeu reli-
"quiæ S. *Eadmundi*, Regis quondam *Anglorum*
"& Martyris, ſacra reconduntur veneratione;
"cupiens ejus genealogiam actáque ac B. *A-*
"*dalberti* fratrum carnalium non ignorare; ibi-
"dem porrecto ſibi libro inter cætera reperit
"in Chronicâ Regum *Angliæ*, quod idem B. *A-*
"*dalbertus* XXXVII. annis & VII. menſibus re-
"gnum *Anglorum*, antequam dictus *Eadmun-*
"*dus* frater ejus idem regnum eſt adeptus, ſub
"multo præpotens tenebat honore. Qui qui-
"dem fratres unicam utroque parente ſoro-
"rem nomine *Brictivam* habebant, quæ apud
"*Franckenuoerde* eſt ſepulta: (Pater vero eo-
"rum habebat nomen *Alcmondus*:) & traxerant
"originem de veterum *Saxonum* nobili pro-
"ſapia." En *Alcmondum* S. *Eadmundi* pa-
trem!

Sed quis iſte *Adalbertus*, ejus frater carnalis, qui ante eum XXXVII. annis & VII. menſibus regnavit? Quid ſentio dicam. Incidit bonus ille vir *Florentius* in *Ethelbertum Orientalium Anglorum* Regem & Martyrem; eum, ob nominum conſonantiam, cum *Adalberto* ſuo confundit. Legit in Chronicis iſtis, *Adalbertum* ſive *Ethel-*

bertum LXXVII. annis & VII. menſibus ante S. *Edmundum* regnum tenuiſſe: quod verè & accuratè ſcriptum erat. Sed cum ingens ille annorum numerus nullo modo cum carnali illa fraternitate conſtare poſſet, pro LXXVII. annis levi mutatione annos XXXVII. repoſuit. *Brictivam* quod attinet, potuit forte ſororem eo vel ſimili nomine habere S. *Edmundus*. Legi enim in Codice MS. Reverendi viri E. *Stillingfleet Wigornienſis* Epiſcopi, quod *Wrfegina* ſoror B. *Edmundi* requieſcit apud *Francford*. "Fratrem "(ſi [1] *Joanni Bromton* & [2] *Ranulpho Higden* "id aſſerentibus fidem adhibere velimus) "*Ed-* "*woldum* habuit; qui mundi delicias exhor- "rens, eò quod ſe & fratrem ſuum durior for- "tuna exceperit, apud *Carnelienſe* Cœnobium "in *Dorſetania* juxta fontem perlucidum, quem "S. quondam *Auguſtinus* ad populum bapti- "zandum precibus produxerat, vitam *Eremi-* "*ticam* ſolo pane & aqua protrivit." [3] *Capgravius* autem eum poſt fratris obitum regnum recuſâſſe ſcribit. Nativitatis S. *Edmundi* lo-

---

1 Chron. p. 807. 2 Polychr. v. 32. ad A. D. 869. ut & Monaſticon vol. I. p. 254. vide & Centuriat. *Magdeb.* ſec. IX. p. 348. qui, *Ranulphum* citantes, vocant *Edwulphum* Regem *Orientalium Anglorum*. 3 In vita S. *Edwoldi*, Fol. XXX. Editionis prius citatæ.

cum

cum *Norinbergam* celeberrimam *Saxoniæ* urbem Codex MS. prædictus Epiſcopi *Wigornienſis*, Fragmentum [1]ante citatum de vita *Ethelberti*, Autor vitæ & paſſionis S. *Edmundi* MS. in Bibliotheca *Lambethana*, aliique, fuiſſe tradunt. Et hæc ferè ſunt, quæ de illius genere, cognatione, & natali ſolo eruere potuimus; niſi id notatu dignum ſit, quod [2]*Philippus Bergomas* eum *Alidulpho*, ſive *Ethelwolpho* patri in regno ſucceſſiſſe ſcribat.

Porro diſquirendum eſt, qua ratione quove jure regnum adeptus ſit. [3]*Aſſerius*, cui res iſta ignota eſſe vix potuit, eam nobis his verbis expreſſam reliquit: "Omnium Comprovincialium "unanimi favore non tantum eligitur ex ge-"neris ſucceſſione, quantum rapitur, ut eis "præeſſet ſceptrigera poteſtate." [4]*Matthæus Weſtmonaſterienſis*, "unanimi procerum con-"ſenſu ad regnum aſcitum fuiſſe", aſſerit. Quid *Galfridus de Fontibus* ſenſerit, quid ſcripſerit, cum inedita ſit ejus Hiſtoriola, operæ pretium erit hoc loco inſerere. "In *Eſtanglia* (inquit) "claruerunt Reges nobiles & illuſtres. Ho-

---

1 Pag. 10. Vide Appendicem. N. III. 2 In Supplemento Chronico. 3 Annales ad A.D. 870. 4 Flores Hiſt. ad A.D. 855.

"rum extremus ante S. *Eadmundum* regnavit
"Rex *Offa.* Hic multo tempore ſine hærede
"vitam tranſigens, *Hieroſolymarum* ſancta lo-
"ca inviſere ſtatuit, & hæredem ſibi à Deo
"impetrare; in itinere Regem *Saxonum* ſibi
"cognatum inviſit, qui filios ſuos, quos habuit
"duos, ejus ſervitio, dum illic moraretur, de-
"putavit. Horum natu poſterior, nomine *Ead-*
"*mundus*, ſolertia ſua & colloquiis animum *Of-*
"*fæ* ſibi devinxit; qui iter arrepturus annulum
"aureum juveni tradit, ita fatus: Fili chariſ-
"ſime *Eadmunde*, accipe noſtræ cognationis
"& dilectionis monumentum, ut memineris
"me ſolerti obſequio tuo eſſe obnixum, ſuper
"quo gratias tibi refero, & mercedem propriam
"ex Dei providentia in corde reſervo. Dein
"*Hieroſolymas* venit, vota perſolvit, regredi-
"tur. In regreſſu vero cum pervenerit ad ri-
"vum qui dicitur *Brachium S. Georgii* languore
"correptus, cum ſociis conſultavit de ſucceſ-
"ſione regni ſui, dicens, cognati mei Regis
"*Saxonici* filium, vobis non incognitum, cor-
"poris forma eleganti, ſapientia & viribus
"præſtantem, mihi ſucceſſorem, vobis ſtre-
"nuum deſigno gubernatorem: nec plura lo-
"cutus inter eorum manus rebus exceſſit hu-
"manis

" manis. Quo ſepulto, comites *Saxoniam* gra-
" du citato repedârunt. Regi mandata, *Ead-*
" *mundo* interſignia detulerunt, & quaſi in ex-
" actoria illum in Regem petierunt. Rex ſu-
" per hoc conſilium ab Epiſcopis petit, qui om-
" nes laudant in commune, ut diſpoſitioni non
" refragetur divinæ; petitioni ergo eorum con-
" ſenſit. *Angli* porro regium adepti aſſenſum
" receſſerunt, *Eadmundum* ſecum deducentes.
" Cum annum integrum in *Anglia* tranſegiſſet
" (ut ſupra narratum eſt) finiſter rumor regio-
" nem implevit, & inhabitantes timor ingens
" perculit; tranſmarini ſiquidem pirabantur fi-
" nes. Convocato itaque Populo, de Rege eli-
" gendo quæſtio agitur, quem Epiſcopus cum
" Primoribus de *Eadmundo* alloquitur, *Ead-*
" *mundum* illis neceſſarium, regio ſceptro dig-
" num, Regis *Saxonici* filium, Regis *Eſtangliæ*
" defuncti propinquum: ejuſdemque adhuc vi-
" ventis mandatum intimat, eorumque aſſen-
" ſum ſuper hoc impetrat. Cunctus ergo vul-
" gus pari conſenſu quaſi vir unus ad præfa-
" tam (urbem) cucurrit; & *Eadmundum* ra-
" piens in medium deduxit. &c.

Galfrido talia narranti meritò eſſet adhiben-da fides, modo de *Offa Eſtanglorum* Rege nobis con-

conſtaret. Hic autem ſolus incedit; nec antiquiores quos ille ſequatur, nec recentiores qui illum ſequantur, adhuc novimus: niſi huc forte reſpexit *Gulielmus Croilandenſis*, cujus verſus extant MSS. in [1]Bibliotheca *Cottoniana*,

Miſerunt Anglis *puerum* Saxones *alendum*,
Qui reſtauraret quod rapuére patres,
Edmundus *felix &c.*
Anglorum*que puer fines habitavit Eöos*,
Ut Conſanguineus Regis Alumnus Ophæ.

Et poſtea

Affectans prodeſſe magis quam præeſſe, ſepulti
Supplendas patrui ſuſcipit ille vices.

Autor quoque [2]Chronici, quod ſub *Joannis Bromton* nomine circumfertur, narrat, quod "poſt *Offa* Regem *Eſtſaxiæ* Sanctus *Edmun-*"*dus* cognatus ejus de *Saxonia* veniens apud "*Bury* in regem *Eſtangliæ* coronatur, & ſimul "cum hoc, per dictum Regem *Offa* cognatum "ſuum, regnum *Eſtſaxiæ* occupavit;" cui narrationi favere videtur id quod ſcribit *Galfridus de Fontibus* "*Eadmundum* (ſcilicet) apud "*Burum Eſtſaxiæ* & *Suffolciæ* limitem in re-

---

1 *Vitellius* D. 14. 2 *J. Bromton* Chron. pag. 745.

"gem

"gem unctum fuiſſe." "Eundem *Offam* iter "ad terram ſanctam arripuiſſe" dicit prædicti Chronici *Jorvallenſis* Conſarcinator: ſed dum eum *Sigehardo* & *Sinefrido* ſucceſſorem dat, omnia turbat: *Offa* enim, qui poſt eos regnavit, [2] circa annum DCCIX. *Romæ* factus eſt Monachus: illum autem non intelligit [3] *Galfridus*, nec enim id ratio temporum ullò pateretur; ſed & eum apertè excludit; "non autem arbi- "trandus eſt iſte *Offa* (dicens) ille *Merciorum* "non Rex ſed Tyrannus iniquus, à quo B. *E-* "*delbertus* dolis circumventus & decollatus "eſt; nec ille alter nobilis *Offa Orientalium* "*Saxonum* Rex, qui regnum relinquens & in "urbe *Romana* ſub Papa *Conſtantino* attonſus "in monachico habitu complevit. &c: Neuter, "inquam, illorum de quo agimus ille extitit; "ſed illorum Regum, qui per ſpatium LXI. an- "norum in *Eſtanglia* ante S. *Eadmundum* reg- "nârunt, iſte *Offa* [4] ulterius extiterat." Si indiculum Regulorum ſive Tyrannorum, qui regnum *Orientalium Anglorum* ab *Ethelberti* morte uſque ad *Edmundum* tenuêre, haberemus; res plane confecta eſſet: ſed eorum nomina

---

1 Ibidem. 2 *Aſſer.* Annal. 3 In Hiſtoriola MS. ante citata. 4 Forte ultimus.

par-

partim ob incuriam, partim ob rerum geſtarum obſcuritatem, nobis tradere dedignata eſt Antiquitas. Quocunque titulo juréve regnum adeptus ſit *Edmundus*, illud eum ſub [1]*Weſtſaxiæ* Regibus tenuiſſe conſtat. [2]*Alfordus* cum hanc de *Offa* narrationem temporum rationi nullo modo conciliari poſſe crederet; id quod *Galfridus Offæ Hieroſolymas*, ipſe *Ethelwolpho Romam* proficiſenti aſcribit.

Edmundi in *Angliam* adventum pro ſeculi more miraculis adornatum ita narrat *Galfridus* de *Fontibus* "cum divertentes ad Borea-
"lem partem *Orientalium Anglorum* intrâſ-
"ſent oceanum, appulerunt ad promontorium,
"quod uſque hodie *Maydeneburie* appellatur,
"& latinè *Virginalis Thalamus* interpretatur:
"à quo promontorio quaſi ad unius ſagittæ ja-
"ctum, ſiccum pedeſtres tranſmeârunt flumi-
"nis alveum. Rudis vero advena *Eadmundus*,
"procumbens in ſpacioſa juxta flumen planitie,
"orationem pro patria illa fudit. Mox in eo-
"dem loco XII. limpidiſſimi fontes de terra
"erumpunt, qui adhuc moderno tempore de-
"currunt, & in ſalum deſcendunt; horum a-

---

1 *J. Bromton* p. 754. 2 Ad A. D. 854. §. VIII.

"quis

"quis plurimi languidi abluti priſtinæ ſanitiati "ſunt reſtituti. Poſtquam verò B. *Eadmundus* "regnavit, locum illum familiariter dilexit, ac "prope fontes regale domicilium condidit. Ea- "dem vero villa *Honeſtoneſtun* congruo nomine "nuncupatur, *mellis* enim *petræ villa* ſonat."

Res ab *Edmundo* per xv. annos, quibus regno *Orientalium Anglorum* præerat, geſtas, cum earum narratio prolixior ſit, quam ut hic inſeri commodè poſſit, nec tamen par ſit eam penitus omitti, in [1] Appendicem rejeci, prout deſcripta eſt in Regiſtro *W. Curteys* Abbatis ſub hoc titulo, "Vita & Paſſio Sancti *Edmundi* "Regis abbreviata & ſumpta de prolixa vita "ejuſdem Sancti."

Qualis fuerit *Edmundus* noſter, & quibus artibus regnum adminiſtraverit, fusè nos docent [2] Annales *Aſſeriani*, (modo non ſint interpolati.) Solus, quod ſciam, Principi optimo [3] *Willielmus Malmesburienſis* mollitiei notam inurit; aſſerens "eum in illa temporum mollitie virtu- "tem ejurare compulſum; non reſiſtentem, "ſed armis projectis ſolo pronum & orantem "captum, & poſt nonnulla tormenta decapi-

1 Append. N. IV. 2 P. 159. *Oxon.* 1691. 3 De geſtis Pontiff. *Angl.* p. 136. *Lond.* 1596.

"tatum." Codex autem *Lichfeldenſis* MS. in quo opus hoc *Willielmi* de Pontificibus *Anglorum* habetur, aliam nobis horum verborum lectionem, quæque Regis noſtri memoriæ magis faveat, ſuppeditat, & "nulla temporum "mollitie virtutem evitare compulſum," tradit. Quicquid autem de variante lectione fiat, certum eſt non ante ſtrenuè navatam fortiſſimi ducis operam, & commiſſum atrox prælium *Edmundum* obiiſſe: *Aſſerius* enim qui *Edmundum* optimè noverat, in *Ælfredi* vita, cui potius quam Annalibus fidendum cenſeo, id non mollitiei deputavit; nec enim ille mollem putavit noſtrum, "quem contra Paganorum ex-"ercitum atrocitèr pugnâſſe, & magna ſuo-"rum parte occiſa, ibidem occubuiſſe" aſſerit. [1] *Ethelwerdus* eadem fere narrat; " Apud *Theot-*"*fordam* (ſcilicet) in bello ſeu prælio inte-"remptum:" [2] *Rogerus Hoveden* in Annalibus, "atrocitèr & virilitèr cum ſuis pugnantem ibi-"dem gloriosè occubuiſſe:" quod è *Simeone Dunelmenſi* hauſit. Quæ apud *Aſſerium* Annaliſtam de ejus martyrio apud *Hegliſdun* habentur, metuo ne ea omnia Annalium iſtorum

---

1 Lib. IV. Cap. 2. 2 Ad A. D. 870.

Inter-

Interpolator ex *Abbone Floriacenſi* hauſerit, qui vitam S. *Edmundi* martyriumque, pro temporum eorum more, multis miraculorum portentis ſcatentem deſcripſit.

Quocunque tandem loco obierit, ſive in campis *Thetfordienſibus*, ſive in ſylvis *Heglesdunenſibus*, ibidem ſepultus per annos XXXIII. quievit. Anno demum DCCCCIII. *Buriam* tranſlatus, loci Religionem mirum in modum auxit. Ejus vero initia & incrementa, ipſis potius eorum verbis qui hæc nobis ſcriptis tradidêre, quam meis, ſic accipite. "[1] Occubuit S. "*Edmundus* A. D. DCCCLXX. ætatis ſuæ XXIX. "regni ſui XV. Indictione III. Feria II. Luna "XXII. XII. Kalendas *Decembris*; ſepultus vero "fuit in eodem loco ubi occubuit, & jacuit "ibidem in terra defoſſus per XXXIII. annos. "Cæco igitur ibi ſanato, & multis jam factis "miraculis; multitudo populi, non ſolum vul-"gi, ſed & nobilium conſtruxit in Villa de *Be-*"*driceſworth* permaximam ligneo tabulatu Ba-"ſilicam, ad quam cum Clero & Pontifice "tranſtulit eum de loco in quo ſepultus erat "poſt martyrium." [2] "Tranſlato autem beatiſ-

1 Regiſtrum *Curteys* & alibi. 2 Reg. *Pinchbeck* ſive Veſtiarii.

"ſimo Rege & Martyre *Eadmundo* de *Hoxon*,
"in novam Baſilicam apud *Betricheſworth* re-
"centèr conſtructam, perpendentes quidam
"Clerici ipſum magni eſſe meriti, ſub ejus pa-
"trocinio Deo ſe devoverunt perpetuo famu-
"lari: Horum quatuor, *Leofricus*, *Alfricus*,
"*Bomfeld* & *Edmundus* Sacerdotii dignitate
"præminebant: duo vero *Leofricus* & *Kenel-*
"*mus* Diaconatus officium adminiſtrabant; quos
"nihilominus *Adulphi Elmamenſis* Epiſcopi, &
"religioſi Epiſcopi *Theodredi* frequens præſen-
"tia devotiores efficiebat, qui locum illum di-
"ctis & factis vehementer honeſtabant. Pro-
"greſſu vero temporis multiplicati ſunt uſque
"ad numerum XIX, ita quod in eadem Eccle-
"ſia fuerint XIV. Presbyteri, & V. Diaconi Præ-
"bendas ſuas habentes, & de Oblationibus ſuis
"viventes."

"[1] A. D. DCCCCXXV. & ſecundo *Ethelſtani*,
"Collegium hoc Sacerdotum *Bedericiæ* inſti-
"tutum eſt, ſacrum videlicet *Eadmundo*; nec
"longo poſt tempore Canonici Præbendarii
"ibidem inſtituti, ac oppidum *Eadmundi* ti-
"tulo nominatum." [2] *Joannes Balæus* ipſum

---

1 *Jo. Leland.* Comm. in Cygneam Cant. p. 47. 2 Script. *Brit.* in *Ethelſtano* p. 127. & Cent. X. p. 34.

Ethel-

Ethelſtanum Collegium hoc Presbyterorum poſuiſſe vult: "[1] qui inter cætera bona Eccleſiæ "S. *Edmundi* unum textum Evangeliorum, qui "ibidem adhuc ſervatur, dedit." *Nicolaus Harpesfeldius* "*Theodredum* Epiſcopum *Londi*-"*nenſem*, cum *Eadmundi* Regis & Martyris "corpus in ignobili ſacello jaceret, quod ta-"men varia miracula illuſtrabant, magnificum "hic templum condidiſſe" ſcribit, "& latrones "quoſdam, qui illud ſpoliaturi acceſſerunt, vin-"culis quibuſdam obtutui non patentibus illi-"gatos, & deprehenſos in crucem ſuffigi curâſ-"ſe, & ejus facti acerrimam poſtea per totam "vitam pœnitentiam egiſſe." Quæ quidem omnia (ſi aut facta ſunt, aut fieri poterant) ut & maneriorum quorundam donationes Eccleſiæ S. *Edmundi* factas, quamvis plerique *Theodredo* huic aſcribant, qui *Londinenſem* ſedem ſub *Athelſtano* tenuit, alii tamen *Theodredo* tribuunt, qui *Edgaro* demum regnante *Elmamenſi* Eccleſiæ præfectus eſt; qui Prædeceſſoris ſui *Adulphi* exemplum ſecutus Eccleſiæ huic (in ipſius parochia ſitæ, necdum ab epiſcopali jure exemptæ) impenſius favit:

---

1 Regrum Eccleſiæ *Chriſti Cantuar.* de rebus extra *Cant.* 2 Hiſt. Eccl. *Angl.* p. 244.

de

de quo *Adulpho* legimus, "[1] quod de *Grante-*
"*brigia* ortus, tempore *Audwini* ſive *Edwii*
"filii *Eadmundi* unus de Clericis, qui apud S.
"*Edmundum* habitabant, fuerit, & Epiſcopus
"provinciæ factus *Eſtangliæ* præſulatum uſ-
"que ad tempora *Adgari* ſolus rexerit; *Edga-*
"*ro* autem regnante *Athulfo Elfricum* in E-
"piſcopatu *Eſtangliæ*, & poſt eum *Theodre-*
"*dum*, de quo legitur in Paſſione S. *Edmundi*,
"ſucceſſiſſe[2]."

[3]Donationum privilegiorumque, quibus jam inde ab initio aucta in immenſum demum creverit hæc Eccleſia, Syllabum, editis in Monaſtico pleniorem, in Appendice dabo: quæ, ſi ſingula locis ſuis hic inſerenda eſſent, Hiſtoriolæ noſtræ filum ſæpius interrumperent.

"[4]Triginta circitèr annos ante introductio-
"nem Monachorum *Aylwino* cuidam commiſſa
"fuit ſancti corporis cuſtodia ab Epiſcopo Dioe-
"ceſano propter inſolentiam & irreligioſita-
"tem Clericorum[5]. Ab *Aylwino* vero circa
"A. D. MX. & *Etheldredi*, Regis XXX. propter

---

1 Regrum Eccleſ. *Chriſti Cantuar.* de rebus extra *Cant.* 2 Appendix n. v. 3 Append. n. VI. 3 Autor Vitæ & Paſſ. S. E. MS. in Bibl. *Lambeth.* & *Dugd.* Monaſt. vol. I. pag. 293. 5 Monaſt. vol. I. p. 291. & Regrum *W. Curteys.*

"in

"infeſtationem *Turkilli Danorum* Comitis cor-
"pus S. *Edmundi Londonias* ad Eccleſiam
"*Chriſti* fuit tranſlatum & triennio poſt Ec-
"cleſiæ ſuæ apud *Bury* redditum." Tranſlationes hujus corporis hinc inde factas variè varii narrant, quos nec conciliare invicem, nec refellere, imò nec quid ſentiant referre vacat, ne in re minimi momenti operoſi eſſe videamur.

Auctæ jam redditibus Eccleſiæ Monachi inhiabant, qui in id potentiæ tam apud Reges quam apud Epiſcopos circa hæc tempora creverant, ut ejectis fere ubique Secularibus, Eccleſias eorum facile occuparent. Superiore ſeculo *Edgarus* Rex, apud quem Monachi, & qui Monachis favebant, plurimum valebant, Clericorum mores corruptos acri [1] oratione perſtrinxerat; &, claſſicum forte canentibus *Dunſtano*, *Æthelwoldo*, *Oſwaldo*, aliiſque è *Benedictinorum* familia Epiſcopis, eis internecinum bellum indixerat; eóque cum *Edgaro* non extincto, Clerici tandem noſtri ſub *Canuto* oppreſſi ſunt; & ne id à bonis viris injuria factum videretur, prætexuntur crimina, quæ no-

1 Vide *Seld.* Specileg. ad *Eadmer.* p. 263.

bis

bis ita depingit [1] Regiſtri S. *Benedicti de Hulmo* Autor Monachus. "Temporibus," inquit, "Regis *Knut*, inventum eſt corpus S. *Edmundi* "Regis & Martyris, abſque reverentia & re- "ligione condigna in Monaſterio S. *Mariæ* lig- "neo apud villam *Bedricheſworth* dictam, ſub "Secularium Clericorum cuſtodia conditum, "qui beneficia eidem Martyri collata, & ob- "lationes inter ſe dividebant, & corpus ſan- "ctum abſque condigno honore dimittebant." In aliis Monachorum [2] Regiſtris, "inordinatè "vixiſſe," "vitam actitâſſe minus regularem," dicuntur.

Quocunque modo ſe res habuit, ſive Seculares malè ſe geſſerint, Sive Regulares ſtrenuè calumniati ſint (quorum id hominibus, hoc Monachis familiare eſt) Secularibus, ad inſtantiam *Aylwini*, ex Monacho (ut puto) Epiſcopi, ejectis, Regulares ordinis S. *Benedicti* in eorum locum ſuffecti ſunt, A. D. MXX. Regni vero *Canuti* IV. qui eodem anno Eccleſiæ S. *Edmundi* fundamenta poſuit.

Quid *Canutum* ad id pietatis opus impulerit, ex ipſis Monachis, quibus nihil ſine miraculo

---

1 Monaſt. vol. 1. p. 285. 2 Monaſt. vol. 1. p. 291. Regrum MS. in Archivis Archidiac. *Sudburiæ*.

placet,

placet, audite. Rem ita narrant. [1]"*Swanum* "*Canuti* Patrem Martyris bona invadentem, "ejuſque terras depopulantem, &, cum ab "*Alwyno* ut deſiſteret leniter monitus eſſet, "inſolentius ſe gerentem, à B. *Edmundo* Mar- "tyre ſeu conto, ſeu pugione percuſſum, apud "*Gainesburg* interiiſſe, III. Nonas Februarii "A. D. MXIIII. *Canutum* vero miraculo per- "motum placandis manibus iratis *Edmundi* "Monaſterium condidiſſe." Neſcio an manium iram, Monachorum certè odia non placavit, qui *Swanum* Regem maledictis proſequi vix unquam deſiêre, [2]*Ordericus Vitalis* veſanum Idololatram vocat, [3]*Alfordus* Jeſuita *Juliano* comparat; Pervaſor, Tyrannus ad tartara tranſmiſſus &c. ubique fere apud eos audit.

Date veniam, Lectores, ut *Swanum* Regem, *Canuti* Fundatoris noſtri patrem, eoque ſaltem nomine à nobis bene meritum, teſtium fide dignorum ſuffragiis, ab his calumniis, præcipue vero à mortis θεηλάτῳ infamia liberem.

[4]*Willielmus Malmsburienſis* qui pervaſorem vocat, ambiguum tamen dicit qua morte obie-

---

1 *Jo. Sarisbur.* in Polycrat. VIII. 2. *Order. Vital.* p. 518. S. *Dunelm.* ad Annum 1014. 2 p. 518. 3 Ad A. D. 1014. §. v. 4 Fol. 36. pag. 2. *Lond.* 1596.

rit. [1] *Willielmus Gemiticenſis*, qui ſeculo proximè ſequente ſcripſit, ait "eum, dum apud "*Londoniam* de regni tractaret diſpoſitione, "mortem obiiſſe, interceptum ægritudine," quod & totidem verbis aſſerit [2] *Thomas Walſingham* in Hypodigmate *Neuſtriæ*. [3] Si *Saxonem Grammaticum* audimus, "*Sueno* ſenilis "animæ laboribus feſſus, divinis rebus infati- "gabilem ultimi temporis curam tribuit, nec "ſpiritu quam religione diuturnior fuit: ſiqui- "dem omni humana concuſſione vacuus, in ip- "ſo perfectiſſimæ vitæ fulgore deceſſit.". Idem teſtatur [4] Anonymus Autor Hiſtoriæ de Regibus *Daniæ* ab *Erpoldo Lindenbruck* editus; "Mortuus eſt *Sueno* poſt converſionem "ac glorioſas victorias in perfectiſſimo vitæ "fulgore, charus Deo & hominibus." Ultimum advocamus teſtem [5] Anonymum vitæ *Emmæ* Autorem *Swano*, ut puto, coævum. "Re- "gem," inquit, "*Danorum Swanum* veridica "comperi relatione omnium ſui temporis Re- "gum fermè fortunatiſſimum extitiſſe, adeo "ut (quod rarò contingere ſolet) principiis "felicibus ſecundum Deum & ſeculum, multò

---

1 De ducibus *Norman.* IV. 8. 2 Pag. 427 *Franc.* 1603. 3 Hiſt. *Dan.* p. 191. *Soræ* 1644. 4 Cap. 76. 5 Apud *Ducheſnium* in Hiſt. *Norm.* pag. 164, 166. *Par.* 1619.

"fe-

"felicior reſponderet exitus." Et poſt multa ejuſdem generis "Ubi" inquit "ſupradictus "Rex tota *Anglorum* patria eſt intronizatus, "pauco ſupervixit tempore; ſed tamen illud "tantillum gloriosè. Præſciens igitur diſſolu- "tionem ſui corporis imminere, filium ſuum "*Cnutonem*, quem ſecum habuit, advocat; ſe- "ſe viam univerſæ carnis ingrediendum indi- "cat: cui dum multa de regni gubernaculo, "multáque hortaretur de *Chriſtianitatis* ſtu- "dio, Deo gratias, illi virorum digniſſimo ſcep- "trum commiſit regale" --- nec multò poſt po- "ſtrema naturæ perſolvit debita, animam re- "mittendo cœleſtibus, terræ autem reddendo "membra." *Suenonis* nomine à Monachorum calumniis brevi hac digreſſione vindicato, ad rem redeo.

Opus Eccleſiæ conſtruendæ ſub *Canuti* Regis auſpiciis cœptum, eo impenſius favente, *Aylwino* Epiſcopo procurante, *Suffolcienſibus* & *Norfolcienſibus* ſumptui quatuor denarios annuos de qualibet carrucata terræ in toto Epiſcopatu ſuppeditantibus, duodecim plus minus annorum ſpatio perfectum eſt, & ab [1] *Æthel-*

1 Regrum. Rubrum B. Fol. 67.

notho, ſive *Agelnotho* Archiepiſcopo *Cantuarienſi* XV. Kalendas *Novembris,* vel potius [1] die ſequenti, videlicet in Feſto S. *Lucæ* A. D. MXXXII. in honorem *Chriſti* S. *Mariæ* & S. *Edmundi* dedicatum. Fundationis Hiſtoriam, quam levitèr hic attigi, latius exhibebit Appendix in Vita & Paſſione S. *Edmundi*.

"[2] Clerici numero XII. ejecti ſunt, quibus "abſque certis ſedibus remanentibus *Canutus* "privilegium dedit quod adhuc ipſi habent "qui dicuntur *Duodeni.*" Quale fuerit id privilegium non liquet: certum eſt eos per arva vagos uſque ad *Baldwini* Abbatis tempora fuiſſe.

[3] Monachorum, qui eorum locum occuparent, Coloniæ *Hulmo* in Agro *Norfolcienſi* & *Ely* in Agro *Cantabrigienſi* deductæ ſunt. Aiunt, *Hulmenſes* non Monachos tantum, ſed libros, veſtimenta, vaſa & id genus alia huc miſiſſe; è Monachis quos XXVI, habuere, *Uvium* Priorem, primumque S. *Edmundi* Abbatem; *Leofſtanum,* qui *Uvio* in Abbatia ſucceſſit; *Agel-*

---

1 *Mat. Weſtmn.* A.D.1032. 2 RegrumEccl. *Chriſti Cantuar.* de rebus extra *Cantuar.* Reg Nigrum Fol. 91. Reg. Sacritæ Fol. 23. 24. 3 Reg in Archivis Archidi. *Sudburiæ.* 4 Chron. *Elienſi* in Bibl. *Lambeth.* Monaſticon Vol. 1. p. 286.

winum

winum Monachum, & (quod credebant Monachi) magnum Secretarium & Aurigam olim S. *Edmundi*; *Ælwardum* valde religioſum; *Leofdenum* Decanum; *Alfricum*; *Bondo*; *Edricum* ſive *Adericum*; *Aſſiwoldum* ſive *Alfwoldum*; *Leofſinum*; *Sparhavocum* (eundem forte qui [1]*Ethelſtano* in Abbatia *Abingdonenſi* ſucceſſit, Cœnobii *Edmundiani* Monachus, præclarus in rebus auro argentoque pingendis aut ſculpendis) pueros *Oſwaldum* & *Ordericum.* Qualis hinc orta ſit inter hæc monaſteria amicitia, qualia enata charitatis fœdera, refert [2]Autor Regiſtri S. *Benedicti* de *Hulmo*; "Miſſarum "(ſcilicet) pro defunctis, Eleemoſynarum, cæ-"terorumque bonorum communicatio, deni-"que (ne omnia recenſendo longus ſim) cau-"tum eſt, ut ſi quis Frater ob grave aliquod "flagitium, vel Eccleſia ſua pelleretur, vel "ſponte decederet & ad alteram confugeret, "ut Frater reciperetur, omni remota occaſio-"ne, præter proditionem Monaſterii ſui & Ab-"batis." Egregium ſanè amicitiæ ſpecimen! præclara hæc monaſticæ diſciplinæ ſeveritas! admiranda ſcelera cohibendi ratio! ut, apertis

1 *Harpesfield* Hiſt. Eccl. *Angl.* ſec. XI. cap. 19. 2 Monaſt. vol. I. p. 286.

utrin-

utrinque aſylis, flagitioſiſſimus quiſque cœlum mutaret, & *Integer vitæ ſceleriſque purus* deinceps viveret. Sed hæc obiter.

Qui Monaſterium *Hulmenſe* à *Canuto* Rege circa annum MXXVI. fundatum volunt, Monachoſque ibidem ſub regula S. *Benedicti* degentes non ante annum MXXXII. collocatos putant, quod facit [1] *Thomas Rudburn*, aliique eum ſecuti, ii hiſtoriam hanc *Benedictinorum* ab *Hulmo* ad S. *Edmundum* traductorum turbant, evertuntque. [2] Eccleſia quidem *Hulmenſis* antea lutea, ex lapidibus inchoata eſt à fundamentis circa hæc tempora à *Canuto* Rege, tempore videlicet *Elſini* Abbatis primi; ſed et anteà Religioſos habuit, et [3] antiquitus conſtitutam ipſe *Canutus* agnovit: de illius ergo reſtauratione non de prima fundatione intelligendi ſunt, qui eam Eccleſiâ S. *Edmundi* ætate minorem faciunt.

Res noſtras qualicunque ſerie huc uſque perductas habetis, ad annum ſcilicet MXX. quæ ſuperſunt, eas Abbatum Catalogo, ſub eorum nominibus, quorum tempore geſtæ ſunt, intertexam.

---

1 MS. *Lambeth.* p. 47. 2 *Jo.* de *Oxenedes* in ſucceſſione Abbatum *Hulmenſium* in Bibl. *Cotton.* 3 Monaſt. vol. 1. p. 286.

UVIUS.

U V I U S.

ABBAS I.

SUbintroductis Monachis Abbas primus *Uvius* præficitur, Prior *Hulmenſis*, [1]vir humilis, modeſtus, manſuetus & pius. Conſecratus eſt ab Epiſcopo *Londinenſi* A. D. MXX. *Canuti* anno IV. Sequente vero anno MXXI. in Natali Domini celebratum eſt *Wintoniæ* concilium, in quo præceptum & decretum fuit, "Quod Mo-"naſterium S. *Edmundi* ſit ab omni juriſdictio-"ne Epiſcoporum Comitatus illius ex tunc in "perpetuum funditus liberum et exemptum." Concilium hoc è Regiſtro MS. S. *Edmundi* primus edidit *Cokus* noſter in præfatione ad volumen Relationum nonum; & eum ſecutus [2]*Spelmannus* in Conciliorum *Angliæ* volumine primo; *Cokus* cum librum penes ſe eſſe, & charactere multum antiquo ſcriptum diceret, eum *Spelmannus* mutuum petiit, ut deſiderata in edito fragmento reſtitueret, nec tandem ſæpius repetitum obtinuit, uti ipſe in notis ad

---

1 *Tho. Rudburn* in Bibl. *Lambeth.* p. 42. & *Mat. Weſt.* ad A. D. 1020. qui eum *Widonem* vocant. 2 Pag. 534. *Lond.* 1639.

id

id Concilium queritur. Ego vero librum, quo uſus eſt *Cokus*, non alium fuiſſe puto ab illo de Vita & Paſſione S. *Edmundi* è Regiſtro *Willielmi Curteys* in [1] Appendice edito. Lis ſcilicet inter *Willielmum Alnewyk* Epiſcopum *Norvicenſem*, & Abbates S. *Edmundi* tempore *Willielmi Exceſtre* cæpta Succeſſorem ejus *Willielmum Curteys* adhuc occupatum habuit. Is igitur in cauſæ ſuæ ſubſidium Vitam & Paſſionem prædictam, quæ edita à *Coko* continet, deſcribi, & Regiſtro ſuo inſeri juſſit, unde ſua *Cokum* conſarcinâſſe puto. Sed de his ſatis. Idem etiam *Canutus* circa hæc tempora cœnobium foſſato munivit, ut inquit [2] Autor Chronici, quod nomen *Joannis Bromton* præfert. Sed in totius cœnobii circuitu ne veſtigium quidem foſſati apparet. [3] *Willielmus Malmsburienſis* ait, eum "foſſatum fieri præ-"cepiſſe, citra quod Exactores vectigalium ſup-"plices litigationes ſiſtunt." Id [4] *Joannes Caius* cenſet eſſe foſſatum illud portentoſum quod in planitie *Novomercatenſi* ad ſex minimùm milliaria excurrit; ſed terræ S. *Edmundi* nondum eò pertingebant, & libertas, quam vocant octo

1 Append. N. IV. 2 Pag. 892. *Lond.* 1652. 3 De geſtis Pontiff. fol. 136. pag. 2. *Lond.* 1596. 4 Vide Append. N. VII.

Hun-

Hundredorum & dimidii, nondum eis conceſſa erat, qua ditio ejus eouſque promoveretur; deinde quid opus tam ſtupendi laboris ope, quod humanas vires ſuperare, & [1] Diaboli eſſe vulgo creditur, quid inquam opus tanta mole, ad Monaſterii unius terras longe inde poſitas ab Exactorum injuriis tutandas? imo nec *Saxonum* Reguli tanto molimine regiunculas ſuas aut diſterminabant aut muniebant: ſolis

Romanis, *rerum dominis, populoque potenti,* tantæ magnitudinis monumentum convenit; quorum Numiſmata ibi eruta narrantem quendam audivi, cum vallum illud ad equorum curſum expediendum non multis abhinc annis perfoderetur. Apertum hic campum nactus latius excurrere poſſem, ſed habenas duco, & ad rem redeo. Autor Vitæ & Paſſionis S. *Edmundi* in Appendice dicit, *Canutum* "foſſatum "terræ circumduxiſſe" oppido (ſcilicet) ſive villæ S. *Edmundi*; [2] valli enim permagni reliquiæ ſive veſtigia extra Auſtralem portam ad dextram verſus Eleemoſynarii, quæ vocant, hor-

---

1 Foſſatum, quod planitiem *Novomercatenſem* tranſverſim dividit, vulgo the *Devil's Ditch* dicitur. 2 *Matt. Weſtmonaſt.* in Hiſtoriar. Flor. ad A. D. 920. ſcribit quod *Edwardus Æthelwaldi* exercitum inter duo Foſſata S. *Edmundi* ad campeſtre prælium præparatum invenerit, & fuderit.

rea etiamnum conſpiciuntur, quod forte loco ad hoſtium incurſiones opportuno, cum cæteræ oppidi partes vel muro vel paludibus circumfuſis muniantur, *Canutus* duxit. Locum adhuc munifica Charta fortius munivit, quam è Monaſtico ubi jam edita eſt in [1] Appendice dabo. Et hæc fere ſunt quæ præſidente *Uvio* notatu digna occurrunt. Obiit ille circa primos *Edwardi* annos i. e. circa annum MXLIIII.

LEOFSTANUS.

ABBAS II.

Uvio fatis functo datus eſt Succeſſor *Leofſtanus* (primò S. *Benedicti* de *Hulmo*, dein vero S. *Edmundi* Monachus) ab Epiſcopo *Wintonienſi* conſecratus. [2] Hic cum *Romam* proficiſceretur & crucem magnam, quæ colitur in Civitate *Lucana*, in itinere videret, eò quod expreſſius haberet formam & magnitudinem Dominici corporis, ad ejus menſuram, domum reverſus, aliam fieri fecit, quæ in altari D. *Petri* erecta, miraculis clara, in magna veneratione habebatur.

---

1 Append. N. VII. 2 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*.

Dice-

Dicebatur *Leofstanus* privilegium à Papa pro Monaſterii libertate impetrâſſe, ſed ingenuè fatetur Regiſtri *Burienſis* Autor, id ſi aliquando factum ſit, jam oblivioni traditum eſſe.

[1] *Edwardus* Confeſſor, quo regnante vixit *Leofſtanus*, S. *Edmundum* cognatum ſuum vocavit, & Eccleſiam ejus in tanta habuit reverentia, quod quando oraturus ibidem veniebat, à milliari ad ipſam non niſi pedibus accederet.

Qui mira amant, legant ea quæ [2] *Willielmus Malmsburienſis* habet de *Leofſtano* noſtro S. *Edmundi* corpus contrectante, "ut ambarum "manuum digiti vel retro miſerabiliter retor-"ti, vel volæ pertinaciter infixi virum miſerè "mulctavêre: ut etiam aliis debilitatibus cor-"reptus, Regem *Edwardum* per nuncios con-"venerit, ut ſibi medicum mitteret; ut ille "*Baldwinum* S. *Dionyſii* Monachum ejus artis "peritum, miſerit; qui cum in cæteris probè, "in digitorum curatione nihil promoveret, mi-"rari cœperit, &, cum morbi cauſam edoctus "eſſet, in loco remanſerit, amorem Martyris "amplexus." [3] Autor Vitæ & Paſſionis S. *Ed-*

1 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*. 2 De geſtis Pontiff. fol. 136, 137. 3 In Append. N. IV.

mundi temeritatem facti ab Abbate amoliri ſtudens rem aliter narrat, aliumque *Leofſtanum* fingit. "Quidam" inquit "nobilis, *Leof-*
"*ſtanus* nomine, de incorruptione Martyris
"dubitans arroganter juſſit locellum aperiri, ut
"videret corpus Sancti: quo ad imperium e-
"jus aperto, ſanctum corpus vidit ac reperit
"incorruptum, & ſtatim arreptus à dæmone
"miſerabiliter expiravit." Quo mortis genere extinctus ſit *Leofſtanus* incertum eſt: certum eſt A. D. [1] MLXV, XVII. Kalendas *Auguſti* obiiſſe.

BALDWINUS.

ABBAS III.

"*Baldwinus* pluribus annis notitiam ple-
"nam Principum adeptus, *Leofſtano* non tam
"ſucceſſit quam acceſſit Abbas, illo anniten-
"te, Rege volente." Quis fuerit *Baldwinus* ille, audi [3] *Jacobum Doubletium*. "Soubs le
"meſme Abbè *Hugues* étoit en reputation
"*Bauldouyn* Religieux de S. *Denys*, tant pour

---

1 Reg. *Lakingheath* penes. *Edw.* Epiſcopum *Wigorn.* 2 *W. Malmſb.* de geſtis Pontiff. fol. 137. 3 Hiſt. de l'Abbaye de S. *Denys* p. 225.

"ſon

"ſon rare ſçavoir, que pour ſon experience en "l'art de Medicin, pourquoi il fut choiſi par "le Roy d'*Angleterre Edward* III. pour eſtre "ſon Medicin, lequel le fit pourvoir, primier- "ment du rich Prieuré de *Derhorſt*, & a- "pres de l'Abbaye de S. *Eadmond* au dit pays "d'*Angleterre*," ubi inſignis Autoris parachroniſmus corrigendus eſt, & pro *Edwardo* III. *Edwardus* Confeſſor reponendus. Eo Medico uſus eſt *Lanfrancus* Archiepiſcopus apud *Frekenham* ut ex ipſius Epiſtola XVIII. ad *Oſbornum* Antiſtitem ſcripta apparet. Erat ergo *Baldwinus* noſter primò Monaſterii S. *Dionyſii* apud *Pariſienſes* Monachus, [1] dein Eccleſiæ de *Derhurſt*, in agro *Glouceſtrenſi* (ejuſdem Monaſterii S. *Dionyſii* Cellæ) Prior, inde autem ad Abbatiam S. *Edmundi* tranſlatus A. D. MLXV. & ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* conſecratus.

[2] Poſtquam venit ad Abbatiam S. *Edmundi*, in memoria S. *Dionyſii Pariſiacenſis*, cujus Monachus erat, fecit Baſilicam grandem & pulchram, ubi cœtum Clericorum non parvum adunavit & ordinavit, & Parochiam villæ ibi-

1 Monaſt. vol. 1. p. 547. 2 Reg. Alph. in verbo *Bury*. Reg. in Archiv. Archidiac. *Sudb.* & alibi.

dem

dem conſtituit, "ubi inter Archiclericos erat "*Petrus Damianus*, cujus pulcherrimus liber "qui dicitur *Dominus vobiſcum*, uſque hodiè "exiſtit." [1] Clerici hi eorum reliquiæ erant, qui Monachis pulſi, per XLV. annos arva vagantes, tandem per *Baldwinum* in S. *Dionyſii* Eccleſia ſede donati ſunt.

Jus cudendæ monetæ ſive cuneum monetarium primus *Baldwino* conceſſit *Edwardus* Confeſſor, data ad *Aylmer* Epiſcopum & *Girth* Comitem & *Toly* Charta, quam in [2] Appendice poſui, ut & (quod hic monendum duxi) [3] tractatum, cui titulus *Omnia tangentia cuneum Monaſterii S.* Edmundi.

Anno MLXXI. orta lite inter *Herfaſtum*, ſuperiore anno ad Epiſcopatum *Elmamenſem* admotum, & *Baldwinum*; Abbas *Romam* advolat, ubi à Papa *Alexandro* II. ſuſceptus honorificè, ab eodem in Vigilia Paſchæ Presbyter ordinatus eſt, & privilegium illud exemptionis obtinuit quod *Seldenus* in [4] Spicilegio ad *Eadmerum* edidit. Litis hujus hiſtoriam brevem ſcripſit *Hermannus*, qui tunc vixit, Archidiaconus, eamque ante ineditam habes in [5] Ap-

---

1 Reg. in Archi. Arch. *Sudb.* 2 Append. N. IX. 3 Ibidem N. X. 4 Pag. 206. *Lond.* 1623. 5 N. XI.

pen-

pendice. Cum *Herfaſtus* privilegium ſic impetratum nihili haberet, *Gregorius* VII. [1] Epiſtola Indictione XII. i. e. A.D. MLXXIV. ad *Lanfrancum* data eum quaſi increpans monet, ut *Herfaſtum* comprimat: quid hic *Lanfrancus* fecerit neſcio; *Dacherius* in notis ad Epiſtoſtolam *Lanfranci* XIX. dicit eum *Herfaſti* conatus haud impigrè illiſiſſe, quod mihi quidem haud veriſimile videtur, cum dicat [2] *Eadmerus* eum privilegii iſtius impetrationem moleſte accipientem id Abbate abſtuliſſe, nec ei niſi circa finem vitæ ſuæ, multorum precibus motum reddere voluiſſe; [3] ſcripſit autem ad *Herfaſtum*, ut *Baldwini* Clericos ab excommunicatione abſolveret, quoad ipſe utrâque parte audita litem dirimeret, quod quidem non multo poſt tempore factum eſt; Anno enim MLXXXI. res iterum ex præcepto [4] Regis *Wintoniæ* coram Archiepiſcopis &c. ventilatur, & ſententiam pro Abbate latam Rex ratam eſſe jubet, ut videre eſt ex Regis Charta in [5] Appendice edita.

[6] "Dum *Romæ* eſſet, dedit ei Papa virgam "paſtoralem & annulum, & altare portatile

---

1 Inter Eplas *Lanfranci* Ep. XX. 2 Pag. 62. *Lond.* 1623. 3 *Lanfranci* Epla. XIX. 4 *Willielmi* I. 5 Append. N. XII. 6 *Hermannus* Archibi. in Append. N. XI. Chron. ſub nomine *J. Bromton* p. 967. Monaſt. vol. I. p. 288.

"ex

"ex lapide Porphirico pretioſum in honore S.
"*Mariæ* & S. *Edmundi* Solempnitèr ab ipſo
"conſecratum, dicens, "*ſi totum Regnum* An-
"glorum *aliqua Excommunicationis cauſa à di-*
"*vino ceſſaret officio*; *quamdiu altare iſtud in-*
"*tegrum & illibatum cuſtodire poteritis, nun-*
"*quam à ſacris Miſſarum ſolempniis pro ali-*
"*qua prohibitione, niſi Papa hoc nominatim in-*
"*terdixerit, céſſabitis*," Quod inter reliquias conſervatum eſt; ſuper quod quidem Altare hi verſus ſcribuntur,

Altaris menſam cum reliquiis benè comptam
Dat, ſacrat hanc Nobis Baldwino *Pater orbis,*
Pontificum Sydus Alexanderque *Secundus.*

Quibus ædificiis *Baldwino* ſedente auctus ſit S. *Edmundus* jam deſpiciamus.

"[1] Fuit quidam vir honorabilis, *Alboldus* no-
"mine, Sacerdos; qui licentia *Baldwini* Ab-
"batis fecit Turrim non parvam, & adhæren-
"tem ei Capellam in memoriam S. *Margaretæ*
"virginis, ubi poſtmodum incluſa eſt *Langli-*
"*na* virgo Deo devota, quæ plures annos in

1 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*.

"optima

"optima ibidem converſatione duxit vitam, et "moriens ibidem ſepulta eſt."

[1]Ejuſdem *Baldwini* temporibus primò *Thurſtanus*, & poſteà *Tolinus*, Sacriſtæ erant; qui Eccleſia lignea & veteri complanata, Eccleſiæ noſtræ fundamenta jecerunt, parietes extruxerunt, Presbyterium ad plenum confirmaverunt, et B. Martyris tranſlationem procuraverunt. Feretra etiam Beatorum Martyrum & SS. *Botulfi* & *Firmini* laminis argenteis exculpſerunt. De *Botulfo* autem & *Firmino* ſive *Jurmino* plura, cum de iis, qui in Eccleſia hac ſepulti ſunt, [2]agam.

Diruta Eccleſia lignea, cum omnia lapidea fierent, lapides noſtris ſuppeditavêre [3]fodinæ de *Bernack* in Agro *Northamptonenſi*, [4]ad Abbatem *Petroburgenſem* pertinentes. Lapides autem apud trajectum de *Gunwade* naviculis onerariis impoſiti in viciniam S. *Edmundi* devehebantur; cujus rei teſtes non longe à trajectu in *Caſtorfeild* duo adhuc oblongi lapides viſuntur, qui in antiquis aliquot agrorum circumjacentium deſcriptionibus S. *Edmundi* lapides vocantur: quem quidem harum lapidi-

1 Monaſt. vol. 1. p. 300. 2 Vide Append. N. XIII. 3 *Gunton.* Antiq. *Petrob.* p. 4. 4 *Ingulfus* ad A. D. 1061.

cinarum uſum, non tàm benignitati *Petroburgenſium*, quàm *Willielmi* I. mandato debemus: quod hic, cum breviuſculum ſit, apponam. "[1] *Willielmus* Rex *Angliæ* Abbati de *Burgo*, "Salutem. Mando tibi & præcipio, ut permit-"tas Abbatem S. *Edmundi* ſufficienter accipe-"re de petra ad Eccleſiam ſuam, ſicut hacte-"nus habuit, & non amplius ſibi impedimen-"tum facias in adducendis petris ad aquam, "quam antea feciſti. Teſte Epiſcopo *Dunel-*"*menſi*." Scribit quidem [2] *Stovæus*, neſcio quo Autore fretus, advectos ad Eccleſiæ fabricam *Cadomo* in *Normannia* lapides: qui apud *Ratliſden* in terram expoſiti, inde vehiculis ad S. *Edmundum* deportati ſunt.

Dum hæc agebantur, [3] fecit idem *Baldwinus* Capellam S. *Stephani* de robore, in loco in quo infoſſa ſunt oſſa hominum, quæ levata ſunt de atrio vel fundamentis novæ Baſilicæ.

[4] Obiit *Baldwinus*, eximiæ vir religionis, in bona ſenectute A. D. MXCVII. Kal. *Januarii* Feria VI. (vel ut [5] Regiſtrum *Lakingheth* IV.

---

1 Reg. Nigrum, & Reg. Sacriſtæ fol. 23. p. 2. 2 Pag. 90. *Lond.* 1615. 3 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*. 4 Continuatio Chronici *Mariani Scoti* MS. in Bibl. *Lambethana*, & *Sim. Dunelm.* ad A. D. 1097. & ejus exſcriptor *Rog. Hoveden.* fol. 267. pag. 2. *Franc.* 1601. 5 Penes D. *Stillingfleet* Ep. *Wigorn.*

Kal.

Kal. *Januarii* Feria IIII. ætatis, ut putabatur, pluſquam octoginta annorum) & in medio Choro principalis Eccleſiæ ſepultus requieſcit. Erravit ergo [1] *Joannes Picardus*, qui *Hovedenum* malè citans, ait eum A.D. MLXXVII. obiiſſe.

ROBERTUS.

ABBAS. IV.

Poſt trium annorum vacationem Abbatia data eſt *Roberto* ab *Henrico* I. regni ſui die primo, videlicet II. Non. *Auguſti* A.D. MC. Conſecratus eſt, Die Dominica, Non. *Auguſti*. [2] *Willielmus* II. die qua obiit, in proprio tenebat Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* cum aliis, & cum XII. Abbatiis, quas aut vendebat, aut in firmum dabat, aut in manu ſua tenebat; quarum una hæc S. *Edmundi* fuit. Erat hic *Robertus* filius *Hugonis* Comitis *Ceſtrienſis* ex illegitimo concubio natus, in *Uticenſi* S. *Ebrulfi* Eccleſia Monachus. Sic enim legimus in Charta *Willielmi* II. apud [3] *Ordericum Vitalem*, "*Hugo*

1 Ante Ep. *Anſelmi* ad *Baldwinum* Ep. L. II. 4. 2 *Matth. Pariſ.* ad A.D. 1100. 3 P. 602.

"*Ceſtrienſis* Comes filium ſuum nomine *Rod-*
"*bertum* in *Uticenſi* Eccleſia ad monachatum
"Deo obtulit." Et poſtea "[1] *Henricus* I. Ab-
"batiam S. *Edmundi* Regis & Martyris *Rod-*
"*berto* juveni, *Uticenſi* Monacho, *Hugonis Ce-*
"*ſtrienſis* Comitis filio dedit." Eadem fere habet [2] Chronicon *Elienſe* à *Mabillonio* editum.
"Ejus parens de regia ſtirpe deſcendens, il-
"luſtrem ſobolem ſub veſte monachica in *Bec-*
"*cenſi* Monaſterio dedicavit."

"[3] A. D. MCII. ineuntibus *Henrico* Regni, *Ro-*
"*berto* Præſulatûs annum III, Concilium in Ec-
"cleſia B. *Petri* in Occidentali parte juxta *Lon-*
"*doniam* ſitæ præſidente *Anſelmo* Archiepiſco-
"po celebratum eſt, in quo ob Simoniam depoſiti
"ſunt Abbates aliquot, aliique nondum ſacrati
"remoti ab Abbatiis: abſque Simonia vero re-
"moti ſunt ab Abbatiis, pro ſua quiſque cauſa,
"*Richardus* de *Hely*, & *Robertus* de S. *Edmun-*
"*do*, & qui erat apud [4] *Micelenei*." [5] *Matthæus Pa-*
riſienſis concilium hoc *Londonii* in Eccleſia S.
Pauli præſente Rege & Suffraganeis Epiſcopis,
circa Feſtum S. *Michaelis* habitum memorat, in-

---

1 P. 783. *Par.* 1619. 2 Act. *Benedictin.* per *Dracherium* et *Mabillonium* vol. 3. pag. 653. 3 *Eadmer.* Hiſt. Nov. p. 67. 4 i. e. Abbatiam *Mutilenſem.* 5. P. 58.

que

que eo Archiepiſcopum Abbates quoſdam, qui de manu Laicorum, & data pecunia Abbatias obtinuerant, degradâſſe. *Robertum* quidem noſtrum non nominat; [1] Regiſtrum autem *Joannis Lakingheth* apertè dicit ideo "ejectum fuiſ-"ſe, quod Eccleſiam abſque electione Mona-"chorum canonica præſumpſiſſet acceptare."

Dum Eccleſia noſtra vacaret, literas dedit *Anſelmus Alfero* Priori Monachiſque conſolatorias, quas habetis inter [2] *Anſelmi* Epiſtolas. Circa tempus quo depoſitus eſt *Robertus*, conceſſit ei *Henricus* I. Chartam de Warrena. "*Hen-*"*ricus* Rex *Angliæ H.* Epiſcopo, & *R. Bigot* & "*Roberto Malet* & omnibus fidelibus ſuis in "*Norfolc* & in *Suffolc*, Salutem. Volo & præci-"pio, ut Abbas *Robertus* de S. *Edmundo* habeat "Warrenam in omnibus dominiis ſuis, ita ut nul-"lus ibi venetur niſi per eum. Teſte *Waldrico* "Cancellario apud *Weſtmonaſterium* in Natali "Domini." Erat autem [4] *Waldricus* Cancellarius circa A. D. MCIII. In Regiſtro autem Sacriſtæ expuncto *Roberti* nomine ita legitur: ut Abbas & Conventus de S. *Edmundo* habeat War-

---

1 Monaſt. vol. 1. p. 295. 2 Lib. III. Ep. 61. & 118. 3 Reg. Nigrum fol. 97. pag. 2. Reg. Sacr. fol. 25. pag. 1. 4 *Spelmanni* Gloſſ. in Catalogo Cancell. *Lond.* 1626. pag. 132.

renam

renam &c. quod depoſito forte *Roberto* ab exſcriptore factum eſt. [1]Obiit *Robertus* A. D. MCVII.

ROBERTUS II.

ABBAS V.

Indiculus Abbatum S. *Edmundi*, è [2]Regiſtro *Joannis Lakingheth* in Monaſtico editus, quem hactenus in eorum ſucceſſionibus ſecuti ſumus, hoc loco paululùm deſerendus eſt, manifeſtò deprehenſus quod erret: *Robertum* enim hunc, Anno MCII. ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* conſecratum, Abbatiam quinque annos rexiſſe, A. D. MCVII, XVI. Kal. *Octobris* obiiſſe, & demum Abbatiam per ſeptem annos poſt illius mortem vacâſſe, tradit.

Hæc ita ſe habere non poſſe facit *Eadmeri* autoritas, qui eo tempore floruit ſcripſitque, imo & rei geſtæ præſens interfuit; ſe enim [3]continuum *Anſelmi*, dum viveret, comitem fuiſſe dicit. Is enim rem ita narrat. [4]"Ipſo "anno (videlicet MCVII) *Anſelmus* celebrata

---

1 *Sim. Dunelm.* ad A. D. 1107. 2 P. 295. 3 Novor. p 123. 4 In vita *Anſelmi*.

Paſ-

"Paſchali ſolennitati in Curia Regis *Henrici*
"apud *Londoniam*, abiit ad Abbatiam S. *Ed-*
"*mundi*, electum inibi Abbatem ſua Autoritate
"roboraturus, & alia quædam officia pontifi-
"calia pro ſuo jure celebraturus." Et in [1]Hiſtoria Novorum, "Soluta igitur Curia, *An-*
"*ſelmus* ad Abbatiam S. *Edmundi* vadit, cru-
"cem magnam ibi conſecraturus, & alia quæ-
"dam epiſcopalia officia adminiſtraturus." Et poſteà. "[2]In ſubſequenti etiam Feria v. ſacra-
"vit in ipſa [3]ſede, [4]*Robertum* Monachum Cœ-
"nobii S. *Petri Weſtmonaſterii*, ad regimen Ab-
"batiæ S. *Edmundi*. Feria ſcilicet v. poſt Do-
"minicam diem, [5]quæ fuit III. Id. *Auguſti*;"
Incidit autem eo anno (videlicet MCVII) dies Dominica in III. Id. *Auguſti*; certum itaque fixumque habemus conſecrationis *Roberti* noſtri ſecundi diem annumque: ſcilicet diem *Auguſti* XV. ſive diem Aſſumptionis *Mariæ* A. D. MCVII. Non ergo conſecratus erat A. D. MCII. nec obiit XVI. Kal. *Octob.* A. D. MCVII. quod

---

1 Pag. 90. *Lond.* 1623. 2 Ibidem p. 92. 3 Sede Metropoliticâ *Cantuar.* 4 Erat *Robertus* hic Prior Monaſt. S. *Edm.* vide *Rad.* de *Diceto* de Archiep. *Angliæ*. *Anglia* ſacra. part. II. p. 687. *Lond.* 1692. 5 Diſertis verbis aſſerit *Eadmerus*, *Anſelmum* die Dominica conſecrationem *Roberti* præcedente ſc. III. Idus *Auguſti* v. Epiſcopos in ſede *Cantuarienſi* conſecrâſſe, et *Robertum* ipſum feria v. ſequente.

vult

vult Indiculus. Cum ergo legamus paſſim a-pud [1] Hiſtoricos noſtros *Robertum* A. D. MCVII. obiiſſe, intelligendi ſunt de *Roberto* primo, non ſecundo: nec vacavit Abbatia ſeptem annos poſt *Roberti* II. obitum, ſed potius v. annos ante ipſius promotionem, videlicet, à *Roberti* I. depoſitione: uti poſtea videbimus.

Repoſita temporum ſerie, quam luxaverat Autor Indiculi, procedamus. Depoſito *Roberto* primo, mirum in modum exarſit celebris illa de Inveſtituris per Laicorum manus controver-ſia: qua flagrante, Rex Abbatiam S. *Edmundi*, è qua ejectus fuerat Abbas quem ipſe ad eam promoverat, ipſe ſibi arripuit, detinuitque tan-tiſper, dum ſedata paululùm lite *Robertus* ſe-cundus à Monachis in Abbatem electus eſt; e-lecti benedictionem ab Archiepiſcopo *Anſel-mo* hac formula petentibus Monachis. "[2] Do-"mino & Patri *Anſelmo* Archiepiſcopo *Elferus* "Prior & cuncta Congregatio S. *Eadmundi*, "Salutis perpetuæ infinita gaudia. Notifica-"mus Vobis quod Dominus iſte *Robertus* vir "bonus eſt, & bene religioſus: de quo etiam

---

1 Chron. *Saxon.* ad A. D. 1107. *Sim. Dunelm.* degeſtis regum, ad eun-dem annum. 2 Prioratus Eccleſ. *Chriſti Cantuar.* de Privilegiis &c. p. 334.

man-

"mandamus, quod illum, ſicuti unum de no-
"ſtris, nobis ad Abbatem elegimus, cui tan-
"quam Patri Spirituali ad obediendum parati
"ſumus. Unde Vos obſecramus, ut eum ad Ab-
"batem benedicatis nobis. Valete." Quod, ut ſupra diximus, factum eſt *Aug.* XV. A. D. MCVII. Hæc autem Monachorum petitio nullo modo *Roberto* I. convenit, "qui [1] ſine electione Con-
"ventûs, eis à Rege datus erat."

Eodem anno, quo *Robertum* conſecravit, "[2] magnam crucem à *Galfrido* Sacriſta per
"*Wohancum* pictorem præparatam, & infra
"dorſum imaginis multis ab ipſo reliquiis re-
"conditis, dedicavit *Anſelmus*," ad quam crucem fabricandam lignum ſponte ſua fiſſum refert Autor Regiſtri [3] prædicti.

Hujus etiam, ut puto, *Roberti* tempore Parochiana Eccleſia Villæ antiqua & lapidea in memoriam Beatæ *Mariæ* conſtructa, pro extendendis dextri brachii novi Monaſterii fundamentis deſtructa eſt, iterumque à prædicto [4] *Galfrido* Sacriſta, ad Auſtralem angulum cœmeterii verſus Occidentem conſtructa.

---

1 Chron. *Jo. Bromton* nomine Editum p. 997. 2 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*, & *Eadmer*. Hiſt. Nov. p. 90. 3 Sc. Reg. Alphabet. 4 Reg. Alphabet. in verbo. *Bury*.

Idem cum hoc *Galfrido* eſt "[1] *Godefridus* "ille Sacriſta, vir ſtaturæ fere gyganteæ, qui "magnus corpore, ſed major animo, Refecto- "rium, Capitulum, Domum infirmorum, & "Abbatis Aulam conſummavit ad plenum; "magnam item Campanam non levi pretio "comparavit." Quæ Campana neſcio an eadem ſit, quam intelligebat [2] *Joannes Major Scotus*, cum de S. *Edmundi Burgo* verba faciens dixerit, "illic fertur eſſe maxima Cam- "panarum totius *Angliæ*."

[3] Sub hoc item *Roberto*, non ſub primo, diviſio portionum Abbatis & Conventûs primò facta videtur. Chartæ enim *Henrici*, qua ea partitio, aliáque rata habentur, ſubſcripſit *Thomas Eboracenſis*, qui A. D. MCIX. ad Archiepiſcopatum provectus eſt. Tenor autem Chartæ hujuſmodi eſt: "[4] *Henricus* Rex *Angliæ H.* E- "piſcopo *Norwicenſi*, & Vicecomitibus, & om- "nibus Baronibus & Fidelibus, & omnibus Mi- "niſtris ſuis de *Norfolk* & *Suffolk*, & ubicun- "que S. *Eadmundus* habet terras, Salutem. "Notum ſit vobis, quod volo & præcipio, ut "partitio facta à *Roberto* Abbate S. *Eadmundi*

1 Monaſt. vol. 1. pag. 300. 2 Hiſt. *Majoris* fol. 38. p. 2. *Par.* 1521. 3 Reg. in Archivis Archidi. *Sudbur.* 4 Reg. Sacriſtæ fol. 25. pag. 1.

"de

"de omnibus redditibus Abbatiæ ſtabilis ſit
"in perpetuum, ut Abbas ſcilicet S. *Eadmundi*
"liberè habeat omnia maneria & redditus ſuos
"pro ſe, & Prior & Conventus habeant libe-
"ram diſpoſitionem omnium maneriorum &
"reddituum ſuorum. Et Regales Miniſtri, tem-
"pore vacantis Abbatiæ, nullam poteſtatem ſi-
"bi attrahant in maneriis prædicti Conventûs,
"niſi de illis dignitatibus & libertatibus, quæ
"ad Coronam pertinent, quas S. *Eadmundus*
"habet, & habere debet plenè in omnibus dig-
"nitatibus & libertatibus per VIII. hundredos
"ſuos & dimidium, ſuper omnes homines, de
"quibus omnibus S. *Eadmundum* ſayſitum in-
"veni, die qua frater meus Rex *Willielmus* fuit
"vivus & mortuus. Concedo & confirmo con-
"ventui S. *Eadmundi* in perpetuum liberam
"electionem in Abbate ſibi eligendo de domo
"ſua propria, ſicut Rex *Eadwardus* eis ean-
"dem libertatem dedit, & Charta ſua, quam
"vidi, confirmavit. Teſte *Th.* Archiepiſcopo
"*Eboracenſi.*

Eccleſiam annos quinque rexit; obiit ergo A. D. MCXII.

ALBOLDUS.

ABBAS VI.

Poſt *Roberti* II. exceſſum ab A. D. MCXII. vacavit Eccleſia uſque ad A. D. MCXIV. duobus his annis ſi quinquenium addas, quo vacavit Abbatia poſt depoſitionem *Roberti* I, habes ſeptem illos annos vacationis, de quibus in Indiculo mentio, licet non continuos.

Quid hic vacante ſede factum eſt, audi. "[1] Cryptam *S. Mariæ* infra Eccleſiam S. *Ed-*
"*mundi* dedicavit *Radulphus*, primitus Epiſ-
"copus *Roffenſis* & poſteà Archiepiſcopus *Can-*
"*tuarienſis*, vir bonæ famæ & religionis; &
"*Baldwinum* venerabilem virum, electione fa-
"cta poſt mortem *Alpheti* Prioris, ex Supprio-
"re ad Prioratum provexit. Nam Abbatia
"B. *Edmundi* in manu Regis poſt deceſſum
"*Roberti* Abbatis erat; & *Baldwinum* ad Ab-
"batem ejus Fratres promoviſſent, niſi Rex ob-
"ſtitiſſet." (Erat hic forte *Baldwinus* ille Monachus, qui *Anſelmo* tam egregiam præſtiterat

---

1 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*.

ope-

operam tam *Romæ* quam in *Anglia*, fervente negotio de Inveſtituris, & cujus tam frequens apud [1] *Eadmerum* mentio, eâque de cauſa Regi merito ſuſpectus.) [2] "Eccleſiam vero B. "*Edmundi* & Fratres ibidem Deo ſervientes "idem *Radulphus* charè ſemper dilexit, & "pontificalia officia, quotiens invitatus fuiſſet, "eis perſolvebat." De *Radulpho* autem Monachi, ne ingrati eſſent, referunt "[3] binas Co- "lumbas eum, dum in Cœmeterio Fratrum cir- "ca locum illum ubi nunc eſt Capella S. *An-* "*dreæ* Apoſtoli baptizatos confirmaret, cir- "cumvolitâſſe, & ingredienti in Eccleſiam à "divino opere per poſterulam, quæ verſus Ca- "pellam S. *Edmundi* eſt, comites ſe addidiſſe. "Cujus miraculi teſtes pueros tres de Schola "Monachorum, *Radulphum* (ſcilicet) poſteà "Sacriſtam, *Wydonem*, & *Walterum* tunc ſu- "perſtitem, cum hæc ſcriberet," nominat Regiſtri Autor.

Alboldum quod ſpectat, erat is [4] Monachus Cœnobii S. *Mariæ Beccenſis*, [5] quem *Anſelmus* Archiepiſcopus ad Regem in *Normanniam* de-

---

1 Hiſt. Nov. p. 65. & alibi. 2 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*. 3 Ibidem. 4 *Eadmerus* p. 111. *Lond.* 1623. 5 Ibidem p. 107.

lega-

legavit, unà cum *Odone* Decano *Ciceſtrienſi*, in negotio quod ei erat cum *Thoma Eboracenſi*: [1] poſteà Prior S. *Nichaſii* de *Molent*. Electi autem conſecrationem his verbis petunt, & impetrant Monachi. "[2] Venerando Patri Ar-
"chiepiſcopo *Radulpho* Fratres S. *Eadmundi*
"Eccleſiæ, Orationes devotiſſimas. Requiri-
"mus à Vobis, Pater Reverendiſſime, ut bene-
"dicatis nobis hunc Dominum, *Alboldum* no-
"mine, in Abbatem Eccleſiæ noſtræ, quia e-
"legimus illum unanimi corde ac voce ſicut
"probum & juſtum, & per omnia, prout in-
"telligimus, idoneum ad hujmſmodi miniſte-
"rium. Vale, Pater in Chriſto."

[3] "Dehinc (inquit *Eadmerus*) Kal. *Novem-*
"*bris* A. D. MCXIV. *Radulphus* Archiepiſcopus
"ſacravit *Cantuariæ* in Metropoli ſede *Albol-*
"*dum* ad regimen Abbatiæ S. *Edmundi*."

[4] Hic forte unus de alienigenis erat, de quibus apud *Eadmerum* mentio.

Indiculus *Joannis Lakingheth* in Monaſtico editus tradit, "eum Eccleſiam quinque annos
"rexiſſe; obiiſſe autem A. D. MCXIX. Kal.

---

1 Monaſt. vol. 1. pag. 295. 2 Reg. Eccl. Xti. *Cant.* de Privileg. pag. 334. *Gervaſius* de Actis Pontiff. *Cantuar.* pag. 1660. 3 Hiſt. Nov. p. 111. 4 Ibidem pag. 110.

"*Martii*"

"*Martii*;" hoc insuper addens, "Iste primò de-
"dit *Mauritio* de *Windeshore* officium Senes-
"chalsiæ in fœdum, & quinque fœda militum.
[1]*Ordericus Vitalis* sic obitum illius refert, "A.D.
"MCXX. *Alboldus Hierosolymitanus*, *Beccen-*
"*sis* Monachus, S. *Edmundi* Regis & Marty-
"ris de *Bedrici* Rure Abbas, subito mortuus
"est."

ANSELMUS.

ABBAS VII.

Anselmus S. *Anselmi* è [2]sorore nepos, [3]Abbas S. *Sabæ* in *Roma*, Domino Papæ familiaris, qui diebus beati avunculi sui plurimo tempore in *Anglia* degens, pro mansuetudine sua ab indigenis terræ quasi unus eorum deligebatur, Abbatiam post *Alboldum* accepit. Is aliquot ante annis, anno scilicet MCXV. cum alacrem navâsset operam, *Radulpho* Archiepiscopo *Cantuariensi* in procurando Pallio, quod secum eodem anno in *Angliam* detulit, [4]"à
"Rege in *Normannia* cum honore suscipitur,
"ac pro sua sollicitudine dignitati Regni *An-*

---

1 P. 872. 2 *W. Malmsb.* p. 131. 3 *Eadmer.* Hist. Nov. p. 112. 4 Ibidem.

"*glorum*

"*glorum* impenſa dignæ grates perſolvuntur."
[1] Eodem anno, in Conventu *Weſtmonaſterii* XVI. Kal. *Octobris* habito, Epiſtolam Papæ Regi & Epiſcopis *Angliæ* dedit.

[2] Anno ſequente "circa menſem *Auguſtum* "reverſus à *Roma*, venit *Normanniam* ad Re-"gem *Henricum* Literas Apoſtolici deferens, "quæ ſibi vices Apoſtolicas, in *Anglia* admi-"niſtrare concedebant." Rei inſolentiam mirati Epiſcopi, Abbates & Nobiles in *Anglia*, habito *Lundoniæ* conventu, ſuadent *Radulfo* Archiepiſcopo, quem maximè res hæc reſpiciebat, *Romam* iret, & hæc nova annihilaret; quod ille cum faceret, *Anſelmus Rothomagi* fruſtra legationis ſuæ exercendæ gratiam præſtolabatur, quam cum à Rege nullo modo impetrare poſſet, morabatur tamen cum eo *Rothomagi*, [3] pecuniam quæ B. *Petro* de *Anglia* quotannis pendi ſolet, *Romam* reverſurus cupiens ſecum habere. Hæc de *Anſelmo* noſtro *Eadmerus* tradit.

Repulſam in re legationis paſſus, tandem S. *Edmundi* Præſulatum adipiſcitur, inque eo

---

1 Videſis hanc Ep. in *Eadm.* Hiſtor. pag. 114. 2 Ibidem pag. 118. 3 Ibidem pag. 121.

à *Radulfo Cantuarienſi* circa annum MCXXI. confirmatus eſt.

" [1] Primo tempore quo venit ad Abbatiam, " propoſuit ire in peregrinatione ad S. *Jacobum* " Apoſtolum, ſed ſapientes Abbatiæ laudave- " runt fore ſalubrius, ſi Eccleſiam in memo- " riam Apoſtoli conſtruere & dedicare faceret; " ad quod ipſe adquieſcens condidit Eccleſiam " S. *Jacobi*; & ad ejus petitionem eam de- " dicavit *Willielmus Curbius* Archiepiſcopus " *Cantuarienſis*; & ſequente dedicationem ejuſ- " dem die, Capella infirmorum domûs Mona- " ſterii ab ipſo in memoria ſummi Archangeli " *Michaelis* conſecrata eſt."

Quinquaginta jam & amplius anni effluxerant, ex quo *Baldwinus* privilegium ſuum obtinuerat; quo tempore toto, ne unica quidem Bulla *Româ* ad nos venit, donec *Anſelmus* [2] *Willielmum* Archiepiſcopum *Cantuarienſem Romam*, ut pallium peteret, euntem comitatus anno MCXXIII. aliam obtinuit, ex quo tempore frequentes huc advolare cœpêre. Is autem à *Calixto* II. [3] impetravit, " ut Monaſte-

1 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*. 2 Continuator *Mariani Scoti* MS. in Biblioth. *Lambeth*. *Florent*. *Wigorn*. ad A. D. 1132. 3 Reg. Sacriſtæ fol. 11. Reg. Nigrum. fol. 54. pag. 2.

"rium S. *Edmundi* ab omni Secularium jugo "liberum ſit, eâ in perpetuum libertate, quâ "*Willielmus* Rex illud invenit, & à tempore "ſuo eſſe conſtituit; ut id nemo perturbare, "vexationibus fatigare, poſſeſſiones ei jam col- "latas, vel in poſterum conferendas minuere, "auferre, vel ablatas retinere audeat; ut Chri- "ſma, Oleum ſanctum, Conſecrationes Alta- "rium, Baſilicarum, & Tabularum, Ordina- "tiones Monachorum ſuorum, & cætera Epi- "ſcopalia à Catholico Epiſcopo recipiant; ut "in gravioribus negotiis ſedem Apoſtolicam "appellent; ut, ſi locus ille in Epiſcopatum fue- "rit commutatus, nullus ibi ullo tempore niſi "Monachus in Epiſcopum ordinetur; demùm, "ut omnes devotionis cauſa ad S. *Eadmundum* "convenientes, de accepta peccatorum ſuo- "rum pœnitentia xx. remiſſionis dies habeant." Quod Privilegium *Lucius* II. Papa Kal. *Aprilis* A. D. MCXLIV. Indictione VII. iiſdem verbis [1] confirmavit, niſi quod in poſteriori hac Bulla omittatur clauſula de loco in Epiſcopatum permutando.

"[2] Altaria S. *Martini* Epiſcopi, & S. *Sabæ*

---

1 Reg. Sacriſtæ fol. 11. pag 2. Reg. Nigrum fol. 52. 2 Reg. Alphabet. in verbo *Bury*.

Ab-

" Abbatis, & Porticum S. *Fidei* Virginis & Mar-
" tyris ſuper Porticum S. *Dionyſii* infra majus
" Monaſterium, & Eccleſiam S. *Mariæ* Paro-
" chiam villæ, & Capellam S. *Andreæ* Apoſtoli
" in cœmeterio Fratrum, & Capellam S. *Mar-*
" *garetæ* Virginis & Martyris ad Auſtralem
" portam majoris cœmeterii, juſſu *Anſelmi* Ab-
" batis dedicavit *Joannes Roffenſis* Epiſcopus.
" Cauſam vero aliquorum iſtorum Sacrariorum,
" aliorumque conſtitutionis hic ponere, propter
" ignorantiam futurorum, non tardabo.

" Fuit *Anſelmus* primum Abbas S. *Sabæ* in
" urbe *Roma*, & ideo memoratum altare ei
" conſtruere, & deſuper pingere fecit.

" Capellam S. *Andreæ* Apoſtoli ædificare, &
" depingere item fecit *Anſelmus* Abbas & *Her-*
" *væus* Sacriſta pro parva quadam Capellula
" lapidea, quæ fuit juxta hoſpitia Sacriſtæ o-
" lim in magna veneratione ſanctitatis; quam,
" ut amnem dilatarent, & quia non fuit in ap-
" to loco, deſtruere fecerunt; atque ut in hac
" nova Capella, cum *Placebo* & *Dirige*, quoti-
" diè memoria ſepultorum in cœmeterio fieret,
" tam ab ipſis quam à tota congregatione, tunc
" temporis conſtitutum eſt.

" Capella S. *Margaretæ* ab *Alboldo* Sacerdo-

"te, uti ſupra vidimus, conſtructa, tempore
"*Anſelmi* dejecta eſt, & præmiſſa Eccleſia ei-
"dem Virgini ædificata.

"Altare S. *Crucis* retro chorum dedicavit
"*Albericus Hoſtienſis* Epiſcopus, qui functus
"eſt Legatione totius *Angliæ* tempore *Stepha-*
"*ni* Regis, & hæc dedicatio in Vigilia S. *Ed-*
"*mundi* facta eſt. *Anſelmus* Abbas tunc *Ro-*
"*mam* iverat.

"Tempore ejuſdem Abbatis, & *Stephani*
"Regis, quando *Himerus Tuſculanenſis* Epi-
"ſcopus eſt Legatione *Angliæ* functus, *Rotroth*
"Epiſcopus *Ebredunenſis*, qui cum ipſo venit,
"ipſius juſſu dedicavit Capellam Domûs infir-
"morum extra villam S. *Edmundi* in memo-
"ria B. *Petri* Apoſtoli, & tunc Abbas *Anſel-*
"*mus* nequaquam domi aderat."

[1] Quin & eodem tempore *Radulphus* & *Hervæus* Sacriſtæ erant. Laudes, quas *Hervæus* à Monachis retulit, ob operam in Monaſterio amplificando, & villa murorum ambitu cingenda, & ob alia animi munifici teſtimonia, Monachi verbis deſcriptas in Appendice habes [2].

Ante annum MCXXXVI. conceſſæ ſunt *Anſel-*

---

1 Monaſt. vol. 1. p. 300. 2 Append. N. XIV.

mo

mo Nundinæ apud S. *Edmundum* hac Charta. "[1] *Henricus* Rex *Angliæ Eborardo* Epiſcopo "*Norwicenſi*, & Vicecomitibus, omnibuſque "Baronibus, & Fidelibus, & Miniſtris ſuis de "*Northfolc* & *Suffolc Francis* & *Anglis*, Salu-"tem. Sciatis me conceſſiſſe *Anſelmo* Abbati "de S. *Edmundo* ut habeat Feriam apud S. "*Edmundum* quoque anno VI. dierum, vide-"licet, trium dierum ante Feſtum S. *Jacobi* "Apoſtoli, & duorum dierum poſt Feſtum, & "in die Feſto. Et volo, & firmiter præcipio, "ut omnes, qui venerint ad Feriam, habeant "meam firmam pacem eundo & redeundo; & "in Feria, dando ſuas rectas conſuetudines: nec "aliquis eis ſuper hoc injuriam vel contume-"liam faciat. T. *Thurſtano* Archiepiſcopo *Ebo-*"*racenſi* apud *Rothomagum*."

Narrationem Electionis *Anſelmi* in Epiſcopum *Londinenſem*, ejuſque amotionem, quam ſolus, quod ſciam, è Veteribus *Radulphus* de *Diceto* nobis ſcriptam reliquit, [2] ipſius verbis deſcriptam accipite.

A. D. MCXXXVI. vocati ſunt ad concilium *Willielmus* Decanus *Lundoniæ* ſimul & Cano-

---

1 Reg. Sacriſtæ fol. 24. p. 2. & Reg. Nigr. fol. 95. 2 Inter x. Scriptores *Lond.* 1652. pag. 506.

nici.

nici. Cum autem haberetur tractatus de consilio *Lundonienſis* Eccleſiæ tunc vacantis, nec in aliquem poſſent unanimiter convenire, receſſerunt à Decano Canonicorum multi, citra conſcientiam ejus *Anſelmum* Abbatem in Epiſcopum eligentes. Canonici vero, quos Decanus habebat ſecum in menſa diebus ſingulis, appellaverunt, nec Regis occurrerunt offenſam. Canonici quidem alii, quia quod fecerant tam Regi quam toti Concilio videbatur iniquum, Regis indignationem plurimam meruerunt, quorum aliqui bonis ſuis ſpoliati ſunt.

A. D. MCXXXVII. *Willielmo* Decano *Lundoniæ* conſanguinei ſui maximè reſtiterunt, non quæ Dei, ſed quæ mundi ſunt, ſapientes. Secum igigitur clanculò theſauros aſportantes Eccleſiæ *Lundonienſis*, ſecum etiam ſuum aſſumentes Electum multa ſubfarcinatum pecunia, *Romæ* Papam *Innocentium* invenerunt, & *Petrum Leonis* Schiſmaticum. Quid in tanto turbine rerum aura marſupii rubiginoſi potuiſſet efficere, probavit eventus. Nam illis in *Angliam* revertentibus, electus eorum *Anſelmus* in Eccleſia Doctoris Gentium *Pauli* ſolemni proceſſione receptus eſt: à Clericis exegit obedientias, poſſeſſiones omnes ad Eccleſiam pertinentes,

tes, Caſtellum quoque de *Stroteford* in ſua dominatione recepit, & agens poteſtativè, licenter à militaribus viris homagia, relevationes, ab hominibus inferioris manûs fidelitates extorſit.

A. D. MCXXXVIII. *Ordingus* Prior apud S. *Edmundum* in Abbatia ſucceſſit *Anſelmo*

Magiſter *Radulphus* de *Langeford*, & *Richardus* de *Belmeis* Fratres & Concanonici, Clericique domeſtici *Willielmi* Decani *Lundoniæ*, reddituri cauſas Appellationis, tam à Domino Papa, quam ab *Americo* Cancellario benignè recepti ſunt in Conſiſtorio. Cauſa diutius ventilata Suffraganeorum omnium *Cantuarienſis* Eccleſiæ teſtimoniis robur accepit.

Thurſtanus etiam *Eboracenſis* Archiepiſcopus Domino Papæ ſcripſit in hæc verba, "Sig-
"nificavit nobis Paternitatis veſtræ Dilectio de
"vita & opinione *Anſelmi* Abbatis S. *Edmun-*
"*di* aliquid inquirere & Vobis renunciare: ad
"quod Vobis reſcribimus, quod ſi vitam & o-
"pinionem ejus ſequamur, multo tutius eſt eum
"ab Abbatia removere, quam in *Lundonienſi*
"Eccleſia promovere." Cum igitur Dominus Papa ſuper quæſtione propoſita longum cum Cardinalibus habuiſſet tractatum; *Albericus*

Ho-

Hoſtienſis Epiſcopus, quod ſequitur, pronunciavit in publicum. "Quoniam Electio Cano-
"nicorum *Lundonienſium* citra conſcientiam &
"aſſenſum Decani facta fuit, cujus eſt officium
"in eligendo Paſtore ſuo de jure primam vo-
"cem habere, Nos eam auctoritate B. *Petri*
"devocamus in irritum.

"[1] *Anſelmus* ab Eccleſia *Lundonienſi* ſemo-
"tus vix in ſuam Abbatiam recipitur *Ordingo*
"repulſo."

Ordericus Vitalis hujus facti meminit quidem, ſed breviter, id enim ſolum dicit, "pro
"[2] *Giſleberto*, cognomento *Univerſali*, *Lundo-*
"*nienſi* Epiſcopo qui nuper defunctus eſt, *An-*
"*ſelmus*, *Anſelmi* Archiepiſcopi nepos, Abbas
"S. *Edmundi* Regis ſubrogatus eſt."

In hac re enarranda labitur omnino [3] *Godwinus* noſter, *Willielmum* Decanum, *Radulphum Langford*, & *Richardum Beaumes*, *Anſelmi* ad Epiſcopatum fuiſſe electores tradens; cum, ut ſupradictum eſt, ideo amotus fuerit, quod ſine electione, ſive citra conſcientiam Decani, id muneris arripuiſſet. Verbo dicam, adeo contraria eſt Reverendi Viri narratio *Ra-*

---

1 Ibidem p. 507. 2 Hiſt. Eccl. p. 908. ad A.D. 1136. 3 De Præſul. p. 117. *Cantab.* 1743.

dulphi

dulphi de *Diceto* menti, ut vix putem eum *Radulphum* (quem tamen hic citat) unquam vidiſſe.

[1]A. D. MCXL. magnum incendium factum eſt apud *Bury*, quod quidem miræ illi traditioni forte ortum dedit, quod ſic refert *Joannes Sarisburienſis* in [2]Vita *Anſelmi*. "Vicum "quendam B. *Edmundi* incendium occupavit, "& domum cujuſdam, qui B. *Anſelmi* Alum- "nus fuerat, & nihil aliud habebat, jam in- "vaſerat ignis edax, qui univerſa conſumit; "non erat homini ſolatium, cum ecce Frater "unus monet, ut nutritoris ſui *Anſelmi* me- "minerit, eique committat domum, qui flam- "mas extinguere conſuevit. Paret ille, & non- "dum finita Oratione Dominica domum ſuam "ab incendio ſine læſione miratur, & lætatur "exemptam.

A. D. MCXLVII. Kal. *Julii* [3]*Eugenius* III. Bullam à [4]*Lucio* II. datam confirmavit, rataſque inſuper habuit poſſeſſiones, quas *Anſelmus* Fratrum uſibus addiderat.

Obiit III. nonas [5]*Januarii* A. D. MCXLVIII.

---

1 Chron. *Elienſe* MS. in Biblioth. *Lambeth.* 2 P. 176. 3 Reg. Nigr. fol. 95. Reg. Sacriſtæ fol. 12. p. 2. 4 Ante citatam pag. 56. 5 Monaſt. vol. 1. pag. 295.

vel, ut [1] *Radulphus* de *Diceto* tradit, pridie Kal. *Auguſti*, cum ſediſſet annos XXVI.

ORDINGUS.

ABBAS VIII.

[2] *Anſelmo* ſedem *Londinenſem* occupante, A. D. MCXXXVIII. electus eſt in Abbatem *Ordingus* Prior. Eo autem, ut ſupradictum eſt, ab Epiſcopatu repulſo, & ad Abbatiam redeunte, ſive volens, ſive nolens *Ordingus* loco ceſſit. Anno autem MCXLVIII. cum *Anſelmus* mortuus eſſet, ſedem iterum capeſſit, ejus bis ſucceſſor. Cui *Stephanus* Rex Abbatiam cum libertatibus ſuis concedit, per Chartam in Monachorum [2] Regiſtris conſervatam, quam eam ob cauſam in Appendice integram poſui, quod pleniorem contineat conſuetudinum *Saxonicarum* enumerationem, & vocabulum unum vel alterum, quod fruſtra fortaſſe alibi requiras.

Cum Abbates S. *Edmundi* corredium quoddam à Cellario in menſæ ſuæ ſubſidium per-

---

1 *Angl.* Sacr. vol. 2. p. 687. 2 Reg. Nigr. fol. 99. Reg. Sacriſtæ fol. 25. p. 2. N. XVI.

cipere

cipere ſolerent, id *Ordingus* Priori & Conventui remiſit; quod factum *Stephanus* Rex ita confirmavit. "[1] *Stephanus* Rex *Angliæ* Archie-
"piſcopo *Cantuarienſi*, & Juſticiariis, & Vice-
"comitibus, & Baronibus, & omnibus homini-
"bus de honore S. *Edmundi*, Salutem. Scia-
"tis me conceſſiſſe & confirmâſſe illam quie-
"tationem, quam *Ordingus* Abbas de S. *Ead-*
"*mundi* fecit Priori & Conventui ejuſdem Ec-
"cleſiæ; ſcilicet de corredio illo, quod Præ-
"deceſſores ſui Abbates illius Eccleſiæ habere
"ſolebant de Cellario Monachorum, & Coquina
"eorum ad ſuam propriam menſam, ſalva ſi-
"bi participatione menſæ Refectorii; ſicut
"idem Abbas *Ordingus* inde eos quietos clama-
"vit, & Charta ſua confirmavit: & ut hæc
"quietatio in perpetuum perduret, præſentes
"Sigilli mei impreſſione confirmo, & Subſcri-
"ptorum atteſtatione corroboro. T. *W. Mart.*
"&c."

"*Ordingus* tempore *Stephani* Regis dedicari
"fecit Capellam S. *Ægidii* infra Navem Mo-
"naſterii, deſuper Altare S. *Joannis* Evange-
"liſtæ, à *Gaufrido* Epiſcopo de S. *Aſaph.* in

---

1 Reg. Nigr. fol. 100. p. 2. Reg. Sacriſtæ p. 26.

"*Wallia*, relaxatis piè requiſitoribus jam di-
"ctæ Porticûs in die Feſtivitatis ejuſdem Sancti
"xv. diebus de eorum pœnitentia." Facta eſt hæc dedicatio inter annum MCLI. quo ſedem *Aſaphenſem* adeptus eſt *Galfridus* ille *Monmuthenſis*, (egregius hiſtoriæ *Britannicæ* aut Conſarcinator aut Interpres) & annum MCLIV, quo *Stephanus* Rex obiit.

Ordingo noſtro librum ſuum de Infantia S. *Eadmundi* inſcripſit *Galfridus* de *Fontibus*; quod cum ignoraret vir doctiſſimus [1] *Ger. Jo. Voſſius*, eum inter incertæ ætatis Hiſtoricos poſuit, & *Pitſæum* errantem ſecutus, ut ille *Arnoldum Wion*, è *Franciſcanorum* Fratrum familia fuiſſe putavit; cum ante *Franciſcum* natum ſcripta fuerit Hiſtoriola illa, ſæpius à nobis, cum de S. *Edmundo* ageremus, citata.

Petente *Ordingo Eugenius* III. Papa "villæ S. "*Edmundi* redditus altaris ſervitio deputatos" Bulla, ad *Helyam* tunc temporis Sacriſtam data, confirmavit: quam integram in [2] Appendice habes. Eandem Bullam, [3] alia totidem verbis data *Romæ* apud S. *Petrum* IV. Non. *Maii*,

---

1 De Hiſtoricis *Lat. Franc.* 1677. p. 704. 2 N. XVII. 3 Reg. Nigr. fol. 98. pag. 2.

con-

confirmavit *Hadrianus* IV. ad petitionem *Ordingi.*

" [1] *Helyas* hic Sacriſta, (Nepos *Ordingi* Abbatis, natus apud *Hinderclay*, cognomento *Widewell*,) conflagratis omnibus Officiis domus S. *Edmundi*, Abbatis Aulam, Refectorium, Dormitorium, & Domum infirmorum vetuſtam, & Capitulum reformavit ad plenum; & omnes alias Officinas in Curia inchoavit ille, & primam manum appoſuit: quod Succeſſores feliciter conſummaverunt. Tabulam etiam argenteam pretii C. marcarum ad magnum altare fabricari fecit, & Feſtum Reliquiarum inſtituit. Erogationem autem, factam diebus feſtivis per manum Sacriſtæ, ipſe fieri conſtituit; Crucem in Choro, & *Mariam* & *Joannem* per manus Magiſtri *Hugonis* incomparabiliter fecit inſculpi: Idem etiam *Helias* avunculum ſuum, cum ei ſua non ſufficerent, tempore turbatæ pacis, de bonis Sacriſtiæ, aſſenſu conventûs devotè ac piè adjuvavit:" quod tum factum puto, cum, *Anſelmo* ab Epiſcopatu ad Ab-

1 Monaſt. vol. 1. pag. 300.

batiam

batiam redeunte, *Ordingus* recedere coactus eſt.

[1]Sub *Ordingo* Abbate erat *Sithricus* Prior.

HUGO.

ABBAS IX.

A. D. MCLVII. *Hugo* è Priore *Weſtmonaſterii* factus eſt Abbas S. *Edmundi*, cumque ab *Henrico Wintonienſi* Epiſcopo, Papæ Legato, confirmatus eſſet, à *Theobaldo Cantuarienſi* Archiepiſcopo Benedictionem accepit; teſte *Gervaſio* in Chronica ſua ad hunc annum. "Benedixit *Theobaldus Cantuarienſis* Archiepiſcopus *Hugonem* Abbatem S. *Edmundi* apud "*Coleceſtriam*, accepitque ab eo Profeſſionem "de Canonica Obedientia." Et in [2]Regiſtro Eccleſiæ *Chriſti Cantuarienſis*. "Anno ab incarnatione Domini MCLVII. *Hugo* Monachus "profeſſus *Weſtmonaſterii*, fecit hanc Profeſſionem *Theobaldo* Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & Succeſſoribus ejus, apud *Coleceſtriam*. "*Ego* Hugo *Eccleſiæ S.* Edmundi *electus Abbas* "*profiteor Sanctæ* Dorobernenſi *Eccleſiæ, ejuſ-*

---

1 Reg. Sacriſtæ. 2 De privilegiis p. 334.

"*que*

"*que Vicariis Canonicam ſubjectionem.*" Hæc Profeſſio ſi non unica ſit ab Abbatibus noſtris Archiepiſcopis *Cantuarienſibus* facta, ſola tamen ex omnibus ad manus noſtras pervenit. Si non primus eam Profeſſionem fecit *Hugo*, ultimus, ut puto, fecit: *Alexander* enim III. Bulla, quam A. D. MCLXXII. VII. Id. *Aprilis* ad *Hugonem* & Conventum dedit, hoc eis indulſit. "[1] In "ſuſcipienda vero Benedictione Abbas veſter "nulli Archiepiſcopo vel Epiſcopo, ſed ſoli *Ro*- "*mano* Pontifici, ad cujus diſpoſitionem idem "Monaſterium veſtrum ſpecialiter pertinet, "obedientiam promittat, vel faciat Profeſſio- "nem." Hanc aliaſque Bullas per *Hugonem* impetratas Regiſtrum Nigrum, Regiſtrum Sacriſtæ, aliique Monachorum Codices exhibent.

A. D. MCLXIII. Kal. *Junii.* Concilium *Turonenſe* celebratum eſt; in quo quid fecerit *Hugo* noſter, audi [2] Autorem Vitarum Abbatum S. *Albani*. *Roberto* [Abbati S Albani] *Jacynthus* Cardinalis S. *Mariæ* in *Coſmidin* ſupra omnes Abbates *Anglici* regni primam ſedem ſecundum privilegium Domini Papæ *Hadriani* IV. aſſignavit; & uni ſervorum ejus [*Ro-*

1 Reg. Nigr. fol. 62. p. 2. 2 Inter additamenta ad *Mat.* de *Pariſ. Lond.* 1640. pag. 89.

berto

berto ſc. Janitori] ſervandam tradidit: in illo namque privilegio de hac re ita ſcriptum reperitur: ſicut B. *Albanus Anglorum* Proto-martyr eſſe dignoſcitur, ita & Abbas Monaſterii ipſius inter Abbates *Angliæ* primus omni tempore dignitatis ordine habeatur. Abbas vero S. *Edmundi*, *Hugo* nomine, prædictum Cardinalem agnoſcens primam ſedem Abbati S. *Albani* aſſignâſſe, nimia triſtitia affectus, tota nocte diem illum præcedente, quo Domini Papæ Concilio cum aliis intereſſe deberet, primam ſedem cum ſuis Apparitoribus arripuit; nec non famulum Abbatis S. *Albani* ab illo loco violenter expulit; totoque noctis illius ſpatio nuſquam recedens pervigil ſervare ſtuduit: ſed metuens ne à Domino Papa, ſeu à Cardinalibus, prima ſedes ſibi ad ſuum dedecus auferretur, LX. marcas argenti (Fratre *Hamone* Monacho ibidem, quouſque redderentur, detento) Curiæ *Romanæ* ſe daturum ſpopondit. Abbas verò *Robertus*, ut cognovit, ipſum in cauſam vocare noluit, quia Rex *Angliæ Henricus* II. omnibus Prælatis, in regno ſuo *Angliæ* degentibus, ne aliquam querelam in qualibet re in Curiâ deponerent, interdixerat. Proinde Abbas *Robertus*, has injurias ſibi & Eccle-

Eccleſiæ ſuæ illatas, æquanimiter tolerans, libertatem ac dignitatem, quam Monaſterium ſibi commiſſum in hac re à Papa *Hadriano* obtinuerat, nec non violentiam ipſi ab Abbate S. *Edmundi* illatam, in Curia cunctis videntibus coram Domino Papa expoſuit; ſicque, Pontificalibus ornamentis redimitus, juxta eundem Abbatem S. *Edmundi*, ſupra omnes alios reſedit. Nec profuit eidem Abbati S. *Edmundi* dignitatem regalem Martyris ipſius allegâſſe.

Ab hoc *Hugone* introductæ ſunt Sanctimoniales de *Linges* in *Norfolck*, & capeſſunt Monaſterium S. *Georgii* in *Thetford*, cedentibus Canonicis, intercedentibus autem *Willielmo* Epiſcopo *Norwicenſi*, & *Gaufrido* Archidiacono *Cantuarienſi*; cujus rei geſtæ narrationem, ipſius *Hugonis* teſtimonio corroboratam, exhibeo in [1] Appendice.

Cum exularet *Joannes Sarisburienſis*, multis officiis ab *Hugone* affectus, Epiſtolas ad eum tres dedit, quæ inter Epiſtolas *Sarisburienſis* loca 135. 179. 256. obtinent. Prima, ut puto, A. D. MCLXVIII. ſecunda A. D. MDCLXX. ſcripta eſt.

---

1 Append. N. XVIII.

Quin & amicitiam cum *Petro* Abbate *Cellenſi* coluit, ut patet ex ejuſdem *Petri* [1] Epiſtolis duabus ad Abbatem S. *Edmundi* datis.

Hugone Abbatiæ præſidente, erat forte Sacriſta [2] *Frodo* [ſive *Frondo*] "qui quingentas "marcas terræ infodit; cui ſucceſſit *Williel-* "*mus* cognomento *Shuch*, de quo nil inveni "memoria dignum; huic ſucceſſit *Willielmus* "cognomento *Wardell*; cui aliquando mini- "ſtravit Dominus *Radulphus*, quondam Elee- "moſynarius, in S. Sacriſtia, qui tranſlationem "S.S. *Botolphi* & *Firmini* procuravit. Quo in "brevi mortuo, miniſtravit eidem in eodem "officio Magiſter *Samſon* poſtea Abbas, qui "tempore officii ſui pro majore parte Chorum "conſummavit, & unam iſtoriam in majori "Turri Occidentali."

[3] A. D. MCLXXV. Concilio *Weſtmonaſterii* celebrato interfuit *Hugo*; nec de eo aliud poſt hunc annum ſcriptum invenio, quam quod [4] A. D. MCLXXXX de S. *Thoma* veniens, equo lapſus ceciderit, & ſic languore & ſenio deficiens obierit.

---

1. Ep. 83. 99. 2 Monaſt. vol. 1. p. 300. 3 Chronicon ſub nomine *J. Bromton.* 4 Suppl. ad *Flor. Wigorn.*

SAM-

SAMSON

ABBAS X.

Cum ab *Hugonis* morte annos duos & menſes tres, ſecundum Chronicas *Jocelini*; annum unum & menſes tres, ſecundum Regiſtrum *J. Lakyngheth*, Abbatia vacâſſet; *Samſon* de [1]*Botington*, [2]*Norfolcienſis*, S. *Edmundi* Monachus, *Henrici* II. Regis [3] Pœnitentiarius factus eſt Abbas, & ſacratus à *Richardo* Epiſcopo *Wintonienſi* II. Kal. *Martii* MCLXXXII. & XII. Kal. *Aprilis* à Fratribus ſuſceptus eſt.

Abbas factus [4]*Willielmum Wardell* Sacriſtam non ſine cauſa amovit ab adminiſtratione; cui ſucceſſit Dominus *Hugo* Sacriſta; *Hugoni* ſucceſſit *Walterus* de *Banham*; *Waltero Willielmus* de *Diſce*, "qui cum modo debito ele-
"ctus fuiſſet ad illud officium, & in illo à die
"S. *Thomæ* Martyris uſque ad Circumciſionem
"Domini [5] per IV. videlicet dies ſtetiſſet, inte-
"rim ſompnum oculi ſui capere non potue-
"runt, qui videns ſe ibidem proficere non poſſe,
"ſuam ab Abbate *Samſone* petiit ceſſionem:"

---

1. Reg. *Swaffham*. 2 Append. N. XIX. 3 Reg. *Pinchbeck*. 4 Monaſt. vol. 1. pag. 300, 301. 5 Append. N. XX.

poſt hunc venit *Robertus* de *Gravele*, qui, mortuo *Samſone*, à quibuſdam in Abbatem electus eſt.

Quæ à Sacriſtis in amplianda, perficienda, ornanda Eccleſia, dum *Samſon* ei præfuit, acta ſunt, in [1] Appendice habes; quæ ab ipſo geſta ſunt, temporum ordine, quantum conjecturis aſſequi poſſum, ſervato, deinceps tradenda ſunt.

Et primò quidem conſuetudines Burgenſium [2] Charta ſua, & conſenſu Conventûs confirmavit. [†] Dein facta cum Burgenſibus compoſitione, ut pro conſueto redditu, qui *Repſilver* vocabatur, xx. ſolidos, pro redditu qui *Scharpeny* ſive *Schornpeny* dicebatur, iv. ſolidos annuatim ſolverent, pactus eſt; Dein [3] Hoſpitale S. *Salvatoris* extra Portam Septentrionalem pro languidis & infirmis fundavit, eique Cuſtodem de Monachis dedit. De quo poſtea Hoſpitali lis orta eſt, quam narrabimus in *Richardo* II. Abbate.

Anno *Richardi* I. ſexto *Samſon* noſter inter Regis Juſticiarios recenſetur in Regiſtro Veſtiarii.

---

1 Append. N. xxi. 2 Ibidem N. xxii. † Reg. Sacriſtæ Fol. 66. p. 2.
3 Reg. Nigrum.

"Idem

"Idem [1] domum Scholarium propriis fecit
"expensis, & redditum trium marcarum an-
"nualium Magistro reddendarum per Perso-
"nam Medietatis de *Wetirden* eidem contu-
"lit; quam donationem A. D. MCIIC confir-
"mavit *Joannes* Episcopus *Norwicensis*: eo-
"dem autem tempore statuit *Samson*, ut om-
"nes Scholares, tam divites quam pauperes,
"ibi essent quieti in perpetuum à conductione
"domûs; & XL. pauperes Clerici essent quieti
"ab omni exactione versus Magistrum propter
"eruditionem [2] suam: in quorum numero, pri-
"mò debent computari consanguinei Mona-
"chorum, dummodo pauperes sunt, & addi-
"scere volunt, & residuum numeri debet sup-
"pleri pro arbitrio Magistri Scholarium."

A.D. MCXCVIII. Feretrum S. *Edmundi* comburitur.

A.D. MCC. pontificatûs *Innocentii* III. tertio, regni Regis *Joannis* secundo, VIII. Idus *Novembris*, finita est lis inter Archiepiscopum *Cantuariensem* & *Lambethanos* Canonicos, Arbitris *Edmundo* Episcopo *Eliensi*, *Rogero* Decano *Lincolniensi* & *Samsone* Abbate S. *Ed-*

1 Reg. *Curteys*. 2 Suppl. ad *Flor. Wigorn.*

mundi

mundi. Cujus [1] Sigillum arbitrii originali ſcripto appenſum vidi; ex una parte habet Abbatem mitra caput redimitum, dextra baculum paſtorale, ſiniſtra librum gerentem, cum hac in circuitu inſcriptione, *Sigillum* Samſonis *Dei gratia Abbatis S.* Edmundi; in altera parte, Agnus eſt cruciger his verbis, *Secretum* Samſonis *Abbatis*, circumſcriptis.

Eodem anno "*Hugonem* v. Abbatem *Cluniacenſem* apud S. *Edmundum* hoſpitio excepit, "ſed quod ei locum primum non daret, diverſi diverſa ſentiebant, & multa multi locuti ſunt:" ut inquit *Jocelinus* de *Brakelond* apud [2] *Clementem Reynerum*, qui multis quoque de hoc facto diſputat.

[3] A. D. MCCX. IX. Kal. *Octobris* Turris Eccleſiæ S. *Edmundi* impulſu venti cecidit.

Monaſterium ære alieno valde gravatum levavit ſumma, qua pollebat, in adminiſtrandis rebus temporalibus, prudentia. Obiit autem III. Kal. *Januarii* A. D. MCCXI.

---

1 In Archiv. Eccl. *Chriſt. Cant.* 2 *Reyneri* Diſcept. Hiſt. de Antiquit. *Benedictinorum* in *Anglia* p. 162, 163. 2 Suppl. ad *Flor. Wigorn.* MS.

HUGO

HUGO II.

ABBAS XI.

"Mortuo Abbate *Samſone* Abbatia vacans "commiſſa eſt *Nicolao Tuſculanenſi* Epiſcopo "*Januarii* XXV. anno Regis *Joannis* XV. [1] Anno "autem MCCXIII. à quibuſdam *Hugo* de *North-* "*wold* in *Northfolcia*, Monachus S. *Edmundi* "à quibuſdam *Robertus* de *Gravele* Sacriſta ad "Abbatiam fuerat electus. Hic vero *Rober-* "*tus*, durante inter ipſos non modico tempore "controverſia memorata, utrique parti expen- "ſas invenit ſufficientes; cum autem contra "eundem *Robertum* proceſſu temporis proceſ- "ſum fuiſſet, & in officium Sacriſtæ aliquanto "tempore poſt definitivam ſententiam ſtetiſ- "ſet, electus fuit ad Abbatiam de *Thorney*." Schiſma propter *Hugonis* electionem factum [2] tandem per Judices à Papa delegatos ſopitum eſt, ipſéque ab iiſdem delegatis confirmatus: [3] eodem anno VIII. (vel ut alius [4] Codex tradit v.) Idus *Martii* accepit Benedictionem à *Benedicto Roffenſi* Epiſcopo.

---

1 Monaſt. Vol. 1. p. 301. 2 Sc. A.D. 1215. 3 Monaſt. p. 295. 4 Reg. *Lakyngheth*, & Suppl. ad *Flor. Wigorn.*

"[1] *Hugo*

"[1] *Hugo* factus erat monachus die Aſſum-"ptionis S. *Mariæ* A. D. MCCII." Et in eodem Codice dicitur electus in Abbatem communiter ab omnibus Fratribus; "ſed non multò "poſt ſchiſma in Conventu propter electio-"nem factum eſſe; & eodem anno, quo bene-"dictus eſt *Hugo*, ignem ſuccenſum magnam "partem villæ S. *Edmundi* conſumſiſſe III. "Non. *Junii*."

[2] Erat *Hugo* unus è Conſervatoribus, ſive Executoribus Crucis, quibus commiſſa erat juriſdictio in negotio Cruceſignatorum Obtinuit ille ab *Honorio* III. Bullas frequentes: primam, ut Oblationes fidelium in Eccleſia factæ in pios honeſtatis uſus, ſecundum Abbatum loci ſententiam erogarentur, nec contra ejuſdem loci approbatam & antiquam conſuetudinem aliter temeritate cujuſpiam expenderentur; ſecundam, qua præcedentium Pontificum Regumque indulta confirmat; tertiam, qua donatio villæ de *Berton*, per nobilem virum *Robertum* de *Heſe* facta, roboratur: data eſt hæc Bulla *Reate* IV. Non. *Januarii* pontificatûs anno x. id eſt circa annum MCCXXVI. Invenio etiam *Innocentii*

---

1 Suppl. ad *Flor. Wigorn.* 2 *Prin.* Collect. vol. III. *Lond.* 1668. p. 110.

IV. [1] Bullam *Hugoni* datam, prolixiore ſcripto libertates ratas eſſe jubentem; ſed pro *Hugone* reponendus eſt *Henricus*, nam diu ante *Innocentii* IV. pontificatum ad Epiſcopatum *Elienſem* promotus erat *Hugo*. Idem Abbas "[2] Gildam Piſtoribus concedit, ita ut nemo, qui "non eſt Frater iſtius Gildæ, ſine eorum con"ſenſu panem facere præſumat ad vendendum "ſub pœna XX. ſolidorum; & *Willielmo* filio "*Ingeredi* & hæredibus ſuis concedit hujus "Gildæ eſſe Aldermannos."

Anno VIII. *Henrici* III. *Hugo* noſter aderat in obſidione Caſtri de *Bedford*, illis omnibus ſtipatus, qui Abbati, Foedorum gratia, ſervitium militare præſtare tenebantur; ut ex notula conſtat, "de Serjantiis S. *Edmundi* quo "tempore D. Abbas perſonaliter ſuum facit ſer"vitium D. Regi in ſuo exercitu;" quam è Regiſtris [3] Appendix exhibet.

Cum autem ſervitium hoc præſtaret *Hugo*, [4] cautum eſt, ne gratia Regi facta in obſidione Caſtri de *Bedford*, traheretur ad conſuetudinem, vel debitum; in qua obſidione aderant *Stephanus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* & S.

---

1 Reg. *Pinchbeck* fol. 15. 2 Reg. Sacriſtæ fol. 62. p. 2. 3 Append. N. XXIII. 4 Reg. Sacriſtæ fol. 33.

Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & ſui Suffraganei; aderant & alii, quorum nomina in Chartæ ſubſcriptione apparent; [1] quam ideo in Appendice habes.

[2] Rexit Eccleſiam S. *Edmundi* XIV. annos. A. D. MCCXXIX. Conſecratus eſt Epiſcopus *Elienſis* IV. Id. *Junii*. Obiit VIII. Id. *Auguſti* A. D. MCCLIV. Anno conſecrationis ſuæ in Abbatem XL. Anno pontificatûs ſui XXVI.

RICHARDUS I.

ABBAS XII.

Richardus de Inſula, ſive de *Ely*, primò Sacriſta, ſive, ut volunt [3] Annales *Burtonienſes*, Prior S. *Edmundi*, deinde Abbas *Burtoniæ*, ad Abbatiam demum S. *Edmundi* electus eſt Non. *Junii* A. D. MCCXXIX. Confirmatus eſt ab *Hugone Elienſi*. [4] Inſtallatus in die S. *Edmundi*, præſentibus *Richardo* magno *Cantuarienſi* Archiepiſcopo, *Hugone Elienſi*, ac quam pluribus aliis Epiſcopis, & Magnatibus *Angliæ*.

---

1 Append. N. XXIV. 2 Monaſt. p. 295. 3 Ad A. D. 1229. 4 Ibidem.

[1] *Hen-*

[1] *Henricus* III. *Angliæ* Rex *Richardo* Charta ſua concedit, "quod placita Coronæ ubi vita, vel "membrum jacet, quæ per ſectam in Curia "ipſius Abbatis verſus appellatum conſueverunt "deduci & terminari per judicium ignis & a- "quæ, (quod modo locum non habet) de cæ- "tero deducantur, & terminentur in eadem "Curia per inquiſitionem faciendam per ſacra- "mentum proborum & legalium hominum ma- "nentium infra libertatem ejuſdem Abbatis "&c." T. *H.* de *Burgo* Com. *Cant.* Juſticia- "rio noſtro &c. Dat. per manum venerabilis "Patris *Radulphi Ciceſtrienſis* Epiſcopi Can- "cellarii, apud *Wodeſtock Maii* IV. Anno Regni "XV. Quin & [2] Protectionem eidem dedit *Ja-* "*nuar.* XXX. apud *Weſtmonaſt.* anno eodem. Rexit Eccleſiam V. annos. Obiit. VI. Kal. *Septembris* MCCXXXIV.[3]

HENRICUS I.

ABBAS XIII.

[4] *Henricus* Prior S. *Edmundi* electus eſt in Abbatem in die SS. *Coſmi* & *Damiani*, & ſuſcepit Benedictionem ab *Hugone Elienſi* Epiſcopo

1 Reg. Sacriſtæ p. 31. 2 Ibidem. 3 Monaſt. p. 295. 4 Ibidem.

ſcopo in die Purificationis B. *Mariæ* A. D. MCCXXXIV. apud *Hatfield* Epiſcopi [1] quo tempore *Gregorius* factus eſt Prior S. *Edmundi.*

Henricus tertius *Angliæ* Rex Charta ſua concedit, quod *Henricus* Abbas [2] habeat duas Ferias, unam extra portam Aquilonarem ad Hoſpitale S. *Salvatoris* in vigilia, & in die, & in craſtino Transfigurationis Domini: aliam extra portam Auſtralem in vigilia, in die, & in craſtino Tranſlationis S. *Edmundi.* T. *H. Elienſi* Epiſcopo &c. Dat. per manum venerabilis Patris *Richardi Ciceſtrienſis* Epiſcopi Cancellarii, apud S. *Edmundum Martii* XIX. anno Regni XIX. [3] Nec non Mercatum apud ſuum manerium de *Meleford* ſingulis diebus *Jovis*, & Feriam trium dierum, videlicet in vigilia, in die, & in craſtino S. *Trinitatis.* His teſtibus venerabilibus Patribus *Richardo Dunelm. Johanne Bathon.* & *Willielmo Carleil.* Epiſcopis. Dat. per manum venerabilis Patris *Richardi Ciceſtrienſis* Epiſcopi Cancellarii, apud *Weſtmonaſterium Julii* VIII. Anno regni XIX.

[4] Nec Papa defuit in exornando privilegiis

---

1 Suppl. ad *Flor. Wigorn.* 2 Reg. Sacriſtæ f. 32. 3 Ibidem. 4 Ibidem fol. 17. 5 Ibidem fol. 18.

Mona-

Monaſterium S. *Edmundi: Gregorius* enim IX. Bulla *Laterani* data VII. Idus *Maii* Pontificatûs ſui anno VII. Abbati & Conventui libertates, & immunitates à *Romanis* Pontificibus, & Principibus Monaſterio conceſſas, ac rationabiles ipſius conſuetudines antiquas, & ad id tempus pacificè obſervatas, nec non redditus, poſſeſſiones, decimas, & alia bona, ſicut ea omnia juſtè & pacificè obtinebant, eis, & per eos Monaſterio, auctoritate Apoſtolica confirmavit. Quin & alia [s] Bulla idem inhibuit, ne quis niſi *Romanus* Pontifex, vel Legatus ipſius, in villa S. *Edmundi*, aut infra IV. Cruces uno milliario ex partibus quatuor à villa diſtantes, prout ante conceſſum fuerat ab *Alexandro* II. & cæteris Prædeceſſoribus ſuis, poteſtatem aut jus aliquod ſibi valeat vendicare, vel publicas Miſſas, aut Conventum, aut Oratorium, ſeu Capellam ædificare, aut Synodum ſeu quælibet officia Epiſcopalia exercere. Bulla hæc data eſt *Laterani* XVI. Kal. *Maii*, pontificatûs anno XII.

Hæc, ut non à nobis gratis dicta, ita nec à Pontifice *Romano* gratis facta fuiſſe, docebit ſequens *Innocentii* IV. Bulla *Henrico* data.

[s] *Inno-*

[1] *Innocentius* Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Abbati & Conventui S. *Eadmundi Norwicenſis* Diœceſeos, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Illam de veſtræ ſinceritatis affectibus ſpem gerimus, & fiduciam obtinemus, ut, quotiens Sedi Apoſtolicæ matri veſtræ neceſſitatis articulus imminet, ad vos tanquam dilectos ejus filios, & devotos pro ipſius oneribus relevandis, incunctanter recurrere valeamus. Cum igitur Sedes ipſa, per ea quæ piæ memoriæ *Gregorii* Papæ Prædeceſſoris noſtri auctoritate in *Anglia*, aliiſque regnis populi *Chriſtiani*, pro ejuſdem ſedis ſubſidio ſunt collecta, non adhuc à debitorum ſuorum, quæ pro Catholicæ fidei, Eccleſiaſticæ libertatis, & patrimonii ſui defenſione contraxit, onere valeat relevari; ad veſtræ devotionis affectum neceſſitate cogente fiducialiter recurrentes, univerſitatem veſtram de conſilio fratrum noſtrorum rogamus attentius & monemus, per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandantes, quatenus præſcriptæ neceſſitatis inſtantiam, qua *Romana* Eccleſia graviter perurgetur, affectione penſantes, ut convenit, filiali, & com-

---

1 Ex Originali in Archivis *Lambeth*, cui gemina extat apud *Mat. Pariſ.* p. 642. anno priori data.

paſſionem

paſſionem ſuper hoc habentes debitam erga ipſam, nobis & ſibi pro ſolutione debitorum illorum, in ea ſubvenire curetis; pecuniæ quantitatem, quam dilectus filius Magiſter [1] *Martinus* Cameræ noſtræ Clericus vobis ex parte noſtra duxerit exprimendam, eamque ſibi aut ipſius nunciis infra terminum, quem idem vobis præfixerit, aſſignetis; preces noſtras taliter impleturi, quod nos devotionem veſtram merito commendare poſſimus, & ſuper hoc aliter procedere non cogamur. Dat. *Lugduni* XIII. Kal. *Januarii* pontificatûs noſtri anno II.

"[2] A. D. MCCXL. Abbas noſter unà cum Ab-
"bate de *Bello* Regem accedunt vultu flebili
"& capite demiſſo, ſuper exactionibus Curiæ
"*Romanæ* querentes; quos torvo vultu Rex
"intuens, Legato (qui tum forte aderat) vo-
"ciferans dixit, Ecce Domine mi Legate, iſti
"miſeri ſeductores pandentes ſecreta papalia
"obloquuntur, voluntati veſtræ non adquief-
"centes: facite de ipſis quod vobis placet; ec-
"ce accommodo vobis unum de melioribus ca-
"ſtris meis, ut eos in eo carcerali cuſtodiæ
"mancipetis. Quod cum audiiſſent Abbates,

---

1 Vide de hoc *Martino* Antiq. *Britan.* in *Bonif.* Archiepiſcopo. 2 *Mat. Pariſ.* p. 534.

"ſupra

"ſupra quam dici poſſit confuſione perculſi re-
"ceſſerunt, Legato pro voto ſatisfacturi." *

Rexit Eccleſiam annos xv. obiit XIII. Kal. *Julii* A. D. MCCXLVIII †.

E D M U N D U S

A B B A S XIV.

[1] *Edmundus* de *Walpoole* Monachus S. *Edmundi*, Doctor in Decretis, anno ſecundo à ſuſceptione habitûs electus eſt in Abbatem, Nonis *Julii* A. D. MCCXLVIII. Benedictus eſt ab *Hugone Elienſi* v. Kal. *Octobris*.

"[2] Quem ut Papa confirmaret, miſerunt ex
"Fratribus ſui ordinis tres *Romam*; qui, ele-
"ctione Papæ præſentata, cum ſine ulla con-
"tradictione celebrata eſſet, expectabant, ut
"ſine controverſia confirmaretur: ſed Papa,
"fictis in Electum querelis, ſine ulla inquiſitio-
"ne, ex poteſtatis ſuæ plenitudine electionem

---

* Quamvis præcedens *Innocentii* IV. Bulla oſtendat, qualem devotionem Papæ ab illis expectarent, qui privilegia & immunitates à ſede *Romana* ſibi concedi voluerunt; notandum tamen eſt, quod hanc Abbatum querelam extorſerit ipſius *Gregorii* IX. exactio, *Petro Rubeo* ea de cauſa in *Angliam* legato.

† Quomodo Rex vacante ſede nummos extorſerit, vide *Matt. Pariſ.* 1 Monaſt. vol. 1. p. 295. 2 *Matt. Pariſ.* p. 755. & *Parkeri* Antiq. *Britan. Hannoviæ* 1605. p. 183.

"caſſavit

"caſſavit, & electum rejecit. Monachi triſtes
"decedere parati ſunt, quos tanta mœſtitia
"affectos & abeuntes Papa revocavit, dicens;
"*Cum miſeri miſericordia indigeant, ex mera*
"*gratia noſtra vobis Electum veſtrum concedi-*
"*mus, illi ipſum cœnobium liberè ac liberali-*
"*ter conferendo: veruntamen reſpiciat in octin-*
"*gentis marcis, quas tali Mercatori, cui nos*
"*tantum debemus, ſolvat.* Monachi ex im-
"pudenti avaritia tantam ægritudinem conce-
"perunt, ut eorum unus *Lugduni*, alter *Do-*
"*veriæ*, cum eſſent in itinere, ex tanto dolore
"interirent; tertius æger & ægrotus ſuper-
"ſtes fuit, ut tam indignum Papæ facinus Fra-
"tribus referret."

Cum circa prima *Edmundi* tempora quidam Monaſterium S. *Edmundi* viſitare vellent ([1] *Bonifacium* Archiepiſcopum *Cantuarienſem* hic innui ſuſpicor,) *Innocentius* IV. Bulla ad Abbatem S. *Albani* data, quam in [2] Appendice habes, id fieri vetuit.

Cum autem à quibuſdam, qui lætantur cum male fecerint, Monaſterium multipliciter moleſtaretur, idem *Innocentius* IV. Abbati *Weſt-*

---

1 Vide *Parkeri* Antiqu. *Britan.* p. 183. 2 N. XXIII.

monaſterienſi, & Priori S. *Trinitatis Londonien.* per ſcripta Apoſtolica data *Laterani* x. Kal. *Februarii* pontificatûs ſui anno xi. mandat, "[1] quatenus Abbati & Conventui S. *Edmundi* Apoſtolicæ defenſionis præſidio efficaciter aſſiſtentes, non permitterent eos contra indulta privilegiorum Sedis Apoſtolicæ ab aliquibus indebitè moleſtari, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: non obſtante, ſi ab eadem Sede ſit quibuſdam perſonis indultum, quod excommunicari, ſuſpendi vel interdici non poſſint, per Literas Apoſtolicas; quæ de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, ſeu de prohibitione regia, non fecerint mentionem."

Hic capitalem juratumque S. *Edmundi* hoſtem, *Richardum Gloverniæ* Comitem indigitari patet per [2] Bullam aliam ſequenti die datam ſub hac forma.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & Epiſcopo & dilecto filio Decano de *Arcubus*, Salutem, & Apoſtolicam Benedictio-

---

1 Ex Originali in Archiv. *Lambeth*. 2 Ibidem.

nem

nem. Dilecti filii, Abbas & Conventus Monaſterii S. *Edmundi* ad *Romanam* Eccleſiam immediatè ſpectantis, Ordinis S. *Benedicti*, gravem ad nos querimoniam deſtinârunt; quod nobilis vir, Comes *Gloverniæ*, non ut ſuam juſtitiam proſequatur, ſed ut ipſi fatigati laboribus & expenſis vel compellantur juri ſuo cedere, vel cum ipſo damnoſam pactionem inire, dictos Abbatem & Conventum coram Juſticiariis chariſſimi in *Chriſto* filii noſtri Regis *Angliæ* illuſtris, ſuper diverſis quæſtionibus ad Eccleſiaſticum forum ſpectantibus, & plerumque perſonalibus malitiosè trahit in cauſam; & ut apertè ipſius nobilis injurioſa intentio cognoſcatur, animalia ejuſdem Monaſterii, & ſuorum hominum, ad caſtra ſua frequenter abducit in prædam, libertates & immunitates ipſius Monaſterii temere infringendo, propter quod iidem dampna gravia & expenſas non modicas incurriſſe noſcuntur. Volentes igitur ſuper his eidem Monaſterio ſalubri remedio providere, Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædictos Abbatem & Conventum non permittatis, ab eodem Comite coram aliquibus judicibus ſecularibus vel Delegatis eorum, ſuper his aliquatenus conve-

niri, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtante, ſi dicto Comiti, vel etiam aliis à Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, aut eorum terra ſupponi Eccleſiaſtico interdicto non poſſint, abſque ſpeciali mandato ipſius Sedis faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nolumus autem quod præfato Regi per præſentes literas aliquod præjudicium generetur. Quod ſi non omnes his exequendis poteritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Dat. *Laterani* IX. Kal. *Februarii* pontificatûs noſtri anno XI.

[1]Rexit Eccleſiam IX. annos, & obiit II. Kal. *Januarii* A. D. MCCLVI.

SIMON

ABBAS XV.

Simon de *Lutene* ſive *Luton* ſive *Luyton*, primo [2]Sacriſta fuit S. *Edmundi*, vir prudentiſſimus & circumſpectus; qui, id officium gerens, fundi fecit Campanam, quæ dicitur *Luy-*

---

1 Monaſt. vol. 1. pag. 295. 2 Monaſt. vol. 1. p. 301.

ton

ton. [1] Dein anno MCCLII. in vel poſt x. Kal. *Novembris* Prioratum accepit; primus qui per ſcrutinii electionem (Abbate *Edmundo* & duobus Monachis, uno per Abbatem altero per Conventum electis, & unà cum Abbate vota ſingulorum audientibus) in Priorem electus eſt. Et demum in Abbatem A. D. MCCLVII. XIX. Kal. *Februarii.* Poſt Confirmationem directi ſunt Monachi ad Sedem Apoſtolicam: ſed eis infecto negotio redeuntibus, [2] eo quod ſtatutum fuit de novo, omnes exemptos ad Curiam *Romanam* in propria perſona venire, idem Electus iter arripuit verſus Curiam *Romanam* III. Kal. *Auguſti,* & benedictus eſt ab *Alexandro* IV. Papa apud *Viterbium* XI. Kal. *Novembris.* Iſte Abbas fuit primus, qui Curiam *Romanam* adivit pro Confirmatione & Benedictione ſua ex omnibus Abbatibus *Angliæ* exemptis; Curia in duobus millibus *Sterlingorum* viſitata.

Statim poſt Abbatis *Edmundi* obitum Fratres Minores in villa S. *Edmundi* locum quærunt; cujus rei narrationem, [3] Monachi cujuſdam verbis deſcriptam, ſic habeto.

---

1 Suppl. ad *Flor. Wigorn.* 2 De hac conſtitutione Curiæ *Romanæ* vide ſententiam *M. Pariſ.* p. 951. 3 Reg. *Worketon.*

Cum

Cum religioſi ac venerabiles viri, Fratres ſcilicet Minores, in Municipio B. Martyris locum ſibi diutino aſtu obtinere invigilâſſent, nec id aſſequi valerent, tandem à D. Papa *Alexandro* IV. quoddam privilegium, juxta ipſius nominis etymologiam, cumulato *non obſtante* multipliciter vallatum nacti ſunt: videlicet, "ut ſi ex pia fidelium collatione ibidem fun-"dus eis concederetur, irrequiſita Abbatis & "Monachorum conniventia, eundem locum ad "inhabitandum, & ædificandum ingrederen-"tur." Qua auctoritate freti in cujuſdam Municipis prædium à Boreali civitatis climate ſitum, circumventa poſſeſſoris religione A. D. MCCLVII. X. Kal. *Julii* clanculò ſe ingeſſerunt; ubi moræ impatientes, ſub furvo noctis gallicinio, in loco non ſanctificato, imo divinis Myſteriis tractandis inhoneſtiſſimo, applicato ſuper fœdiſſimam arcam Altari portatili, Miſſarum ſolemnia celebrare præſumpſerunt. Quorum intruſione perculſi Monachi ingemiſcebant, eò præcipuè, quod (orbata Eccleſia per deceſſum *Edmundi* Abbatis) Paſtoris conſilio & auxilio funditus deſtituebantur. Quamobrem Officiales Monaſterii, ſuam libertatem zelantes, Fratres modeſtè ſuper auſu temerario arguunt,

guunt; monentes, quatenus recedant quantocius: quod ultro nolentes, mox diruto à Monachorum clientela idoleo, in quo celebraverant, unà cum adjacentibus ædificiis, omnes ſine violentia, etſi non ſine ignominia, digrediuntur extorres. Poſt autem Curiam *Romanam* adeunt, contra Monachos actionem injuriarum deponunt, & in omnibus exauditi, in tantum Pontificis animum contra Monachos inſtigant, ut eis reſcribens filios maledicentiæ, hæreticos, & Apoſtatas denominaret, & Domino *Cantuarienſi* & Decano *Lincolnienſi* reſcriberet; quatenus, non obſtante aliquo privilegio ſeu appellationis remedio, Fratres in poſſeſſionem alterius areæ infra Burgum S. *Edmundi* in parte Occidentis introducerent. Cumque præfati Executores, *Cantuarienſis* per Commiſſarium, Theſaurarium ſcilicet *Herefordienſem*, Decanus perſonaliter, ad exequendum mandatum S. *Edmundi* villam acceſſiſſent, & Capitulum ingreſſi Monachos ad ſuſcipiendos Fratres fruſtra ſuaſiſſent; deinde in parochiali Eccleſia B. *Mariæ* ſedentes, poſt longas utrinque inter partes altercationes, auditis argumentis hinc inde propoſitis, ut in favorem Fratrum negotium maturarent, prædictam aream

adeunt,

adeunt, & Decanus evulſo ſtatim de terra brevi ſurculo Fratres autoritate delegata inveſtivit. Monachi incontinenter appellant, quinimo tam ipſos delegatos, quam Fratrum Conventiculum, vix manibus innocentes, abigunt. Fratres Monachos coram diverſis Judicibus conveniunt, & ad loca remotiſſima in jus vocant. Cum diu altercatum eſſet, Fratres cauſæ ſuæ jacturam timentes, ſpreta Judicum ſuorum juriſdictione ad regium ſubpedium ſe conferunt; Judices eremodicium contrahere non morantes, Monachos ab obſervatione judicii abſolutos decernunt. *Henricus* III. Rex, utpote vir pietatis obſequiis paſſim intentus, & à Fratribus ſæpius interpellatus, datis ad Abbatem & Conventum literis, pro Fratribus intercedit; Regina inſuper & Dominus *Edwardus* Regis primogenitus, & quamplures *Angliæ* magnates, tam precibus quam minis idem agunt, ſed fruſtra. Rex ergo Fratrum ſuggeſtionibus, aliorum inſtinctu, præcipuè verò Reginæ importunitate ſubactus, Juſtitiarium ſuum ad S. *Edm.* mittit, qui regali poteſtate Fratres in poſſeſſionem areæ prædictæ induceret A. D. MCCLVI. in vigilia Tranſlationis S. *Edmundi:* quo in loco

co plurima [1]competentia religioni ſuæ ædificia conſtruentes, ſex annos commorati ſunt. Defuncto autem *Alexandro* Papa, qui Fratrum extiterat currus & auriga, & ſubſtituto *Urbano* IV. miſſis ad Curiam nunciis, derogationem privilegiorum, & gravamina, quæ per Prædeceſſoris literas paſſi ſunt, exponunt. *Urbanus* factum ſui Anteceſſoris revocat, mandatque ipſis in virtute obedientiæ Provincialis, & aliis Fratribus in *Anglia* commorantibus, quatenus, non obſtante impetratione prædicta, dirutis ædificiis omnibus à loco recederent. Ii mandato obtemperantes, miſſis ad Monachos quibuſdam diſcretis Fratribus, in præſentia D. Abbatis & totius Conventûs loco prænominato & omni juri ſuo totaliter renunciant in vigilia paſſionis S. *Edmundi*. Pace facta, Abbas & Conventus Fratribus locum ad inhabitandum in poſſeſſione Monaſterii extra ſepta ſuæ juriſdictionis gratuitò concedunt, qui venuſtis ædificiis opulenter redimitus jam efficitur ædes Sacrorum, qui prius extiterat paſcua brutorum. Hæc in ſcriptis redacta ſunt A. D. MCCLXII. Kal. *Decembris*.

---

1 Qualia ædificia conſtruxerint, vide *M. Par.* p. 986.

Negotium Fratrum Minorum amovendorum *Urbanus* IV. Pontificatûs ſui anno ſecundo apud Urbem Veterem Epiſcopo *Carleolenſi* & Abbati S. *Auguſtini Cantuariæ* delegavit per Bullam datam Kal. *Junii*; cujus virtute cum ad aliquos actus ab Executoribus proceſſum eſſet, Epiſcopus *Carleolenſis* Coexecutori ſuo *Richardo* Abbati S. *Auguſtini* vices ſuas commiſit, datis ad eum literis die S. *Michaelis* A. D. MCCLXIII. Abbas S. *Auguſtini* Miniſtrum Minorum in *Anglia* & cæteros Fratres monuit, ut infra menſem locum, quem in villa S. *Edmundi* inhabitare cœperant, omnino dimitterent, & ab ulteriori ædificatione omnino ceſſarent: cui monitioni ſi parere recuſarent, eos ex tunc à divinis ſuſpendit, quam ſuſpenſionem, poſt menſem non parentes, incurrerent ipſo facto. Nomina ſuſpenſorum hæc erant. Miniſter & Frater *Petrus* de *Briſtowe*, *Thomas* de *Fordham*, *Galfridus* de *Neketone*, *Willielmus* de *Graham*, *Joannes* de *Staneforth*, *Henricus Doly*, *Robertus* de *Clare*, *Joannes* de *Wadeſhille*, & *Henricus* de *Tenet*. Datæ ſunt hæ Literæ monitoriæ die *Veneris* proximè poſt Feſtum S. *Michaelis* A. D. MCCLXIII. Demum Abbas S. *Auguſtini* vices ſuas Præcentori Eccleſiæ *Elienſis*,

ſis, Magiſtris *Bartholomæo* de *Reynvile* D. Papæ Capellano, & *Adæ* de *Phileby* Canonico S. *Mariæ Staffordiæ* committit, eoſque Subexecutores conſtituit. MCCLXIII. Subexecutores viz. Præcentor & Papæ Capellanus, cum Fratres monitis non paruiſſent, Decano S. *Edmundi* in mandatis dant, excommunicationis majoris ſententia eos innodatos denunciet, niſi intra octo dies imperata faciant. Datæ ſunt hæ Subexecutorum Literæ in vigilia S. *Clementis* MCCLXIII. Decanus Fratres primò, ſecundò, tertiò, monet, dicto audientes eſſent. Ii, quoad loci dimiſſionem recedentes parent, quoad operis incœpti demolitionem nihil penitus faciunt. Invocant ergo brachii Secularis auxilium Subexecutores, Majori & Ballivis S. *Edmundi* præcipiunt, locum accedentes demoliri faciant. Datum erat illud præceptum in craſtino S. *Catharinæ* MCCLXIII. Subjungam hic ex eodem Regiſtro regium Breve in eodem Negotio.

Henricus Dei gratia Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, Dux *Normanniæ* & *Aquitaniæ*, & Comes *Andegaviæ*, Dilecto ſibi in *Chriſto Simoni* Abbati S. *Edmundi*, Salutem. A veſtra non credimus memoria excidiſſe, qualiter dilectos

nobis in *Chriſto* Fratres ordinis Minorum ob Dei honorem, & Apoſtolicæ Sedis reverentiam, pro noſtra noſtrorumque ſalute in fundo noſtro proprio, quem nobis dederunt *Ludowycus* de *Gerardi* villa & *Petronella* uxor ejus in villa veſtra S. *Edmundi*, per *Gilbertum* de *Preſton* Juſticiarium noſtrum, ad hoc cum literis noſtris miſſum, anno Regni noſtri XLII. collocavimus ad manendum, pro quibus etiam in eandem villam benignè ſuſcipiendis ſcivimus Conventum veſtrum antea Apoſtolica mandata, & diſtricta obedientiæ præcepta recepiſſe. Nunc autem vobis conſtare facimus, quod habita deliberatione Concilii noſtri, ex communi juratorum noſtrorum Conſiliariorum conſenſu, & approbatione, memoratum factum noſtrum ratificamus; nec volumus illud infirmari aliquatenus aut mutari, ſed de die in diem uſque ad proſperum conſummationis finem promoveri, & per Hæredes & Succeſſores noſtros, Reges *Angliæ*, illud manuteneri volumus & foveri. Si quos vero dictis Fratribus, aut loco prædicto impedimentum, aut gravamen inferentes audierimus, congruo & juſto modo ſine difficultate, coerceri pariter, & puniri faciemus. Quocirca devotionem veſtram rogamus,

&

& requirimus ex affectu, quatenus dictos Fratres, & locum prædictum sic diligere, fovere, promovere & protegere, ac amicis & benefactoribus eorum vos amabiles & placidos exhibere studeatis, ut ex hoc Dominicæ benedictionis abundantiam, & regii favoris gratiam pleniorem merito possitis obtinere. Teste Meipso apud *Westmonast.* XXIII. die *Februarii* anno regni nostri XLIII.

Similes eodem anno & die Aldermanno & Ballivis datæ sunt literæ.

In primo suo ad S. *Edmundum* adventu insolentius se gessisse Fratres autoritate Pontifica fretos ex sequenti Bulla conjicere licet: quam, etsi longiusculam, hic tamen apponam; quoniam eam [1] *Lucas Waddingus*, nescio an volens, omisit.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis Ministro Provinciali & Fratribus Ordinis Minorum de *Anglia* Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Intellecto dudum ex insinuatione vestra, quod Dilecti Filii Conventus Monasterii S. *Edmundi*, Ordinis S. *Benedicti*, *Norwicensis* Dioceseos, Vobis super quodam fundo vestro Ordini ex cujusdam nobilis liberalitate in villa S. *Edmundi* concesso,

1 In Annal. Minorum.

di-

diverſas & enormes injurias irrogârant; Nos ad inſtantiam veſtram ſuper injuriis hujuſmodi ad certos Judices ſub certa forma in favorem veſtrum direxiſſe meminimus Scripta noſtra: licet igitur Ordinem veſtrum, ex eo potiſſimè, quod olim, dum in minore eſſemus officio conſtituti, curæ noſtræ fuit ab Apoſtolica Sede commiſſus, charitate præcipua diligamus, & vos tanquam prædilectos & ſingulares filios intra mentis ubera carius amplexemur: licet etiam favoris Apoſtolici ſinum vobis in hoc, & in aliis quæ ipſius veſtri Ordinis incrementa reſpiciant, manu munifica duxerimus explicandum; noſtræ tamen intentionis extitit & exiſtit, ſic ad veſtrum commodum hujuſmodi vobis exhibere favorem, quod in aliorum præjudicium minimè convertatur; quia quanto ſinceriori affectu vos proſequimur, tanto ardentius cupimus vos ea ſemper agere, per quæ famæ veſtræ præſervetur integritas, & ſtatus veſtri Ordinis firmius & ſolidius roboretur. Cum itaque ille, quo vos in Chriſto complectimur, Charitatis Zelus id egerit, ut ſuper his præſens ad vos pagina emanaret, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attentè, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes,

qua-

quatenus maturitatem debitam, erga præfatum Monaſterium (præſertim cum ſit *Romanæ* Eccleſiæ ſpeciale, ac propter hoc ipſius jura teneamur ex Apoſtolatûs officio ſpecialius defenſare,) in hujuſmodi negotio conſervare curetis, ut ab ipſius Monaſterii moleſtiis & injuriis, ſicut vos decet, penitus abſtinendo, nihilque contra privilegia, indulta, libertates & immunitates ac jura ipſius Monaſterii attemptando, ita quod ſcandala, quæ prædicti occaſione negotii orta jam in illis partibus eſſe dicuntur, ſopiantur omnino, murmurantium clamores queruli conticeſcant, & detrahentium vobis linguæ mordaces taciturnitatis nexibus vinciantur, ac in vobis, tanquam virtutum limpido ſpeculo, grex Dominicus ſalubriter dirigatur; Nos quoque, veſtrorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde in Domino perfuſi lætitia, dulcia Sedis Apoſtolicæ ubera, quæ copiosè hactenus in multorum beneficiorum perceptione ſuxiſtis, vobis, veſtris exigentibus meritis, affectuoſius porrigamus. Dat. *Viterbii* v. Id. *Novembris*, pontificatûs noſtri anno tertio.

Quantas turbas moleſtiaſque creaverint Fratres Abbati & Conventui, audi [1] *Matthæum*

1 P. 967.

Paris

Paris. "Sub eorundem," inquit, "temporum "voluminibus, Fratres Minores auctoritate "Papali ſeſe ingeſſerunt & intruſerunt in ci- "vitate S. *Edmundi* Regis & Martyris, invi- "tis & contradicentibus ejuſdem loci Abbate "& Conventu, & introducti ſunt & inſtituti "violenter per Laicorum manum, viz. Comi- "tis *Gloverniæ*, quem conſtat eſſe dictorum "Abbatis & Conventûs adverſarium, & *Gile- "berti de Præſtona.* Paucis autem præceden- "tibus diebus venerat Abbas à Curia, qui ſibi "præcavens in futurum contra impetum dicto- "rum Fratrum ſcripto Papali præmunierat: "ſed illico poſtea impetrarunt Fratres in con- "trarium per hanc adjectionem, *non obſtante.* "Unde hoc audientes univerſi non poterant "ſatis admirari, quod tam ſancti viri, qui ſpon- "taneam paupertatem elegerunt, contempto "Dei timore, & tam reverendi Martyris; & "hominum oblocutione; & privilegiorum ac "conſervatorum tuitione; violenter illius no- "bilis Eccleſiæ ſtatum perturbarent; quam "certum eſt eſſe magnæ dignitatis & antiqui- "tatis. Nec ſic angebat Abbatem totus labor "*Tranſalpinus*, vel debita quibus involvebatur "inæſtimabilia: & ad cumulum anguſtiarum

"ſua-

"ſuarum arctatus placito Comitis *Gloverniæ*
"languoris elegit dilationes.

[1] A. D. MCCLIX. vel paulò ante, Papa conceſſit Regi decimas bonorum Baroniæ S. *Edmundi* pro quinquennio.

Circa A. D. MCCLXIV. Lis inter Abbatem & Conventum & Burgenſes exorta eſt de Janitoribus ad portas villæ conſtituendis, & de Aldermanno ad cuſtodiam villæ præficiendo. Cujus litis proceſſum *Walterus Pinchbeck* S. *Edmundi* Monachus in [2] Regiſtro Veſtiarii deſcriptum nobis reliquit.

[3] A. D. MCCLXVII. Summonet Rex omnes militare ſervitium ſibi debentes, ut apud S. *Edmund.* equis & armis ſufficienter inſtructi convenirent, ad impetendum eos qui contra pacem regiam occupaverant Inſulam *Elienſem.* [4] Ipſe autem VIII. Id. *Februarii*, videlicet Dominica die poſt Purificationem, venit apud S. *Edmund.* & die ſequenti *Octobonus* Legatus venit ibidem cunctis Prælatis & Proceribus regni ex utrorumque edicto ad locum prælibatum convocatis. Legatus ſiquidem die S. *Petri* in cathedra ibidem Concilium celebravit, ex-

---

1 Reg. Nigrum & Reg. *Pinchbeck* fol. 189. 2 Fol. 1. 3 *Mat. Pariſ.* p. 1002. A. 8vo. *H.* 3. 4 Reg. in Archivis Archidi. *Sudb.*

hæredatos, Inſulam admonitionibus præmiſſis, publicè excommunicavit, Rege ſibi præſente, niſi infra quindenam ſequentem regiæ paci ſe ſupponerent. Nocte autem proximè ſequente quidam occulti rumores Legatum & ſuos vehementer terrentes, ipſum in craſtinum quaſi inopinatè iter verſus *Londoniam* arripere fecerunt. Quo die etiam Dominus Rex S. *Edmund.* relinquens apud *Cantebregge* cum exercitu ſuo caſtra metavit, ibique totum jejunium quadrageſimale in Inſulæ *Elienſis* obſidione conſummavit.

[1] Idem Rex, cum aliquot poſt annos in tumultuantes *Norwicenſes* animadverſione facta *Londinum* rediret, apud S. *Edmund.* villam gravi languore correptus eſt, qui eum non deſeruit uſque ad vitæ [2] finem.

---

1 *Mat. Pariſ.* p. 1009. 2 Obiit *Henricus* III. x. Kal. *Decembris* A. D. MCCLXXII. Abbatum reliquorum catalogum Append. exhibet.

APPEN-

APPENDIX

Ad Antiquitates S. Edmundi Burgi.

N. I.

Camdenus in *Suffolciæ* deſcriptione de villa noſtra hæc tradit.

INterius oppidum eſt S. *Edmundi* celeberrimum, quod *Saxonico* ſæculo Bedericſ-ȝueorþ, & *Britannico*, ut videtur, *Villa Fauſtini*, cujus meminit *Antoninus*; ſic enim exſtimavit *Talbottus*, vir antiquitatis bene peritus, & in hac *Angliæ* parte verſatiſſimus: diſtantiæ etiam ratio tam ab *Icianis* quàm à *Colonia* apud *Antoninum* ſatis convenit; utque *Villa* Latinis nobilis cujuſpiam domum in fundo locatam ſignificat, ita Gueorþ idem *Anglis* denotavit. *Abbo* enim ille *Bedricſ-gueord*, *Bederici cortis*, id eſt, villa, interpretatur. Præterea *Angli* vim verbi in ſuam linguam tranſfudiſſe videntur: etenim ut *Fauſtinus Latinè* proſperitatis ſenſum in ſe habet, ita *Germanicè Bederic*, ut ſcribit literatiſſimus ille *Hadrianus Junius*; ubi *Betoricis* nomen, qui apud *Strabonem Melonis Sicambri* filius erat, fælicitatis & favore plenum interpretatur. Sin diverſi hi fuerint, libenter me neſcire fateor, quis ille *Fauſtinus*, & quis hic *Bedericus*. *Fauſtini* illius villam, quam *Martialis* libro Epigrammatum tertio depingit, non fuiſſe certe ſcio. Et *Berici* ejus fuiſſe, qui è *Britannia* exturbatus, ut author eſt *Dio*, *Claudio* Imperatori bellum in *Britannos* movere perſuaſit, ſi dicerem, ipſe mihi neutiquam crederem. Quæcunque vero fuerit, ſi *Fauſtini* villa non ſit, celebris tamen fuiſſe vide-

tur, quum enaſcente in hoc tractu religione *Chriſtiana Sigebertus* Rex ædem ſacram hic poſuerit, & *Abbo* Villam regiam vocarit. Verum cum *Edmundi Chriſtianiſſimi* Regis corpus, quem *Dani* exquiſitis ſuppliciis trucidârunt, huc tranſtuliſſet populus, & in ejus honorem permaximam miro ligneo tabulatu eccleſiam conſtruxiſſet: *Edmundi* Burgus, vulgo St. *Edmondsbury* & contractè *Bury* dici cœpit, mirumque in modum floruit; præcipuè vero, ex quo *Canutus* Rex, ut patris *Sueni* ſacrilegam in hanc eccleſiam impietatem expiaret, novo opere inſtauraverit, opibus referſerit, coronam ſuam S. Martyri obtulerit, Monachos cum ſuo Abbate induxerit, prædia multa & magna, & inter alia ipſum oppidum integrum donaverit. Cui ipſi Monachi per ſuum Seneſchallum præfuerunt, & jus dixerunt. Unde *Jocelinus* de *Branklond*, hujus loci Monachus; "Homines tam "extra Burgum, quam infra, noſtri ſunt, & omnes infra "Bannam Leucam eadem libertate fruuntur." Poſtea *Hervæus* è *Normannico* genere Abbas muro, cujus pauculæ ſuperſunt reliquiæ, cinxit. Pontifices *Romani* maximis immunitatibus dotarunt, & inter alia conceſſerunt, "Ut nulli "Epiſcopo locus ille ſubderetur in aliquo, in legitimis Archie-"piſcopi nutum ſpectaret." Quod adhuc obſervatur. Jamque Monachi divitiis circumfluentes novum magnifica ſtructura templum erexerunt, & indies novis ædificiis auxerunt, dumque, *Edwardo* Primo regnante, ſacelli novi fundamenta ponerent, inventi ſunt (ut inquit *Everſdenus* hujus loci Monachus) muri veteris cujuſdam eccleſiæ rotundæ ita conſtructæ, quòd altare quaſi in medio fuerit: & credimus (inquit) illam fuiſſe, quæ ad opus S. *Edmundi* primo fuit conſtructa. Quale vero ſit hoc Oppidum, & quantum fuerit Monaſterium, dum ſtetit; audi, qui vidit, *Lelandum*; "Sol non vidit urbem ſitu elegantiorem, ſic molli delicata "pendet in clivo, & rivulus ad Orientem defluit; aut cœ-"nobium illuſtrius, ſive quis dotationem, ſeu amplitudi-"nem, aut magnificentiam incomparabilem æquis rationi-"bus expendat. Diceres planè Cœnobium urbem eſſe: "tot portæ, partim etiam æneæ, tot turres, & templum,

"quo

"quo nullum magnificentius, cui alia † tria egregio o-
"pere nitentia uno & eodem cœmiterio ſita ſubſerviunt."
Si quantæ fuerint opes, requiras, non facile quis dixerit, quot donaria uni *Edmundi* Mauſolæo appenſa, & ſexaginta ſupra mille quingentas libras quotannis ex reditibus, & latifundiis collegit. Si tumultus inter cives & Monachos (qui civibus per ſuum Seneſchallum præfuerunt) ſubinde exortos, & quanta cum rabie ad mutuam internecionem concurrerint, ſigillatim narrarem, omnem fidem ſuperaret narratio. Verum huic operi tanto tempore ſurgenti, & opibus tot annos congeſtis finem attulit *Henricus* Octavus, cum Monaſteria ſubrueret, ab iis perſuaſus, qui privatas rationes, & ſuam opulentiam Principis & patriæ, imo & Dei gloriæ, ſpecioſo reſtaurandæ religionis obtentu, prætulerunt. Priſtinæ tamen vetuſtatis non deforme cadaver jacet, ſed ruina ſanè ſplendida, quam quicunque intueatur, & admiretur, & ſimul commiſereatur. Jacturam, ut hoc etiam obiter adnotem, ſi unquam aliàs in homine, hoc in loco fecit *Anglia* maximam. Verus enim ille pater patriæ *Humfredus* Dux *Gloceſtriæ*, juſti pervicax, & qui illuſtre ingenium altioribus ſtudiis excoluerat, cum regnum viginti quinque annis ſub *Henrico* Sexto ſumma cum laude ita gubernâſſet, ut nec boni quod quererentur, nec mali quod calumniarentur, haberent, hîc è medio ſublatus, invidia *Margaretæ Lotharingæ*. Quæ, cum regem *Henricum* Sextum maritum minuti & anguſti animi videret, ut ad ſe rerum ſummam traheret, hoc nefarium facinus concepit; verum ſuo & hujus regni malo maximo. *Normannia* enim cum *Aquitania* ſtatim amiſſa; & pluſquam civilia in *Anglia* bella erant ſuſcitata.

N. II.

Corruptum *Joannis Wallingford* locum de S.S. *Botulfo* & *Edmundo* ita edidit *Galêus* inter xv. Scriptores. *Lond.* 1691.

Solent quidam ad hunc Sanctum Regem retorquere ſatis accommodè quoad tempora, & quod narratum eſt ſuperius

† Nunc tantum duo.

de

de Sancto *Bothulfo*, ſicut hic invenio *Eadmundum*, ita in patris *Egberti* nomine *Alcmundum*, & in Legenda Sanctorum *Ethelmundum*; poteſtque facere de nomine diſſonantia.

N. III.

Fragmentum de vita S. *Ethelberti*, (quod in Regiſtro Rubro occurrit,) præter ea quæ ante edita ſunt. p. 10. rem noſtram ſpectantia hæc habet.

Hoc eidem regno [*Orientalium Anglorum*] novimus accidiſſe, quod per annos plus quam ſexaginta, uſque ad tempus quo regnare S. *Edmundus* incepit, ſine Regibus inſtabile per Subregulos fuit. Paſſus eſt autem idem S. *Ethelbertus* ſive *Ethelbritus* A. D. DCCVIIC. XX°. die *Maii*. S. vero *Edmundus* natus eſt in civitate regia *Saxonum*, quæ *Norhembergis* nuncupatur A. D. DCCCXLI. Coronatus eſt autem in regem *Eſtangliæ* A. D. DCCCLVI. & anno ætatis ſuæ XV. Sed paſſus eſt idem S. *Edmundus* A. D. DCCCLXV. & anno ætatis ſuæ triceſimo; & ſic fluxerunt inter paſſionem S. *Ethelbrithi*, & primum annum, quo regnare cœpit S. *Edmundus*, anni ferme 63.

N. IV.

Regiſtrum *Curteys.*

Quia quidam voluntariè ignari, & male intelligentes, aſtruunt & affirmant, quod Monaſterium S. *Edmundi* ante editionem ſive compilationem Decretorum non fuit ab omni juriſdictione Epiſcopali exemptum, venerabilis Pater *Willielmus Curteys* martyrium S. *Edmundi* compendiosè compilatum hic inſeri fecit. Poſt cujus Martyrii finem manifeſtè colligitur, quod R. Pater *Ailwinus Elmamenſis* Epiſcopus Monaſterium S. *Edmundi* exemit ab omni ejus juriſdictione, ac Succeſſorum ſuorum, & pleniſſimè libertate donavit. Quas quidem exemptionem & libertatis donationem ab *Ailwino* factas de conſenſu unanimi Archiepiſcoporum, Fpiſcoporum, Abbatum ac aliorum quam plurimorum Eccleſiæ *Anglicanæ* Prælatorum, Ducum, Comitum, Baronum, Militum, Armigerorum, una cum maxima Populi multitudine ad tunc ibidem congregatorum confirmavit, & quoad temporalem

poralem juriſdictionem illud multo ampliori libertate dotavit Rex *Canutus* filius Regis *Swani* in ſuo Parliamento, propter hoc ſpecialiter convocato: quod quidem Parliamentum per centum & triginta annos ante Decretorum & aliorum quorumcunque Canonum compilationem fuerat celelebratum.

Vita & Paſſio S. *Edmundi* Regis abbreviata & ſumpta de prolixa vita ejuſdem Sancti.

A. D. DCCCXLI. S. *Edmundus* Filius *Alkmundi* Regis *Saxoniæ* natus eſt apud *Northemberges* in *Saxonia* de matre Regina nomine *Siwara*. Poſt modicum tempus *Offa* Rex *Eſt-Angliæ* carens hærede iter arripuit per *Saxoniam* verſus terram ſanctam, ut à Deo hæredem impetraret. Veniens autem ad Regem *Alkmundum*, qui erat ejus conſanguineus, filium ejus *Edmundum* elegit in hæredem. Deinde propoſitum iter accelerat, & tandem ſancta *Hieroſolymorum* loca juxta votum attigit. Quibus expletis regreditur, & ad locum qui *Bracchium S. Gregorii* dicitur veniens, gravi infirmitate corripitur. Mox accerſito conſilio *Edmundum* filium Regis *Saxoniæ* ſuum deſignavit eſſe Succeſſorem; juſſitque ut annulum ſuum ſibi deferrent, quem acceperat ab Epiſcopo in Regni *Eſtanglorum* promotione. Quo tandem mortuo *Angli* redeuntes per Regem *Saxoniæ* filium ejus *Edmundum* poſtulant, & accipiunt in Regis *Offæ* Succeſſorem. Intrantes autem *Angliam* apud *Hunſtanton* applicuerunt, & deduxerunt eum ad civitatem antiquam, quæ dicebatur *Attelburg*; ubi per annum integrum deguit, pſalmis & orationibus diligenter vacans: in quo ſpatio Pſalterium, quod in *Saxonica* ceperat, perdidicit. Poſt annum vero finitum ductus eſt ad *Suffolchiam*, & in villa de *Bures* ab *Humberto Elmamenſi* Epiſcopo die Natali Domini in Regem *Eſtangliæ* coronatur. Æt. XV. A. D. DCCCLVI. Cumque S. *Edmundus* culmen regiminis eſſet adeptus, humani generis Inimicus quoſdam ex ſuis membris ei adverſarios immiſit. Fuerunt eidem adverſarii, *Ingwar* & *Ubba* gentiles, & pagani,

ni, filii.[1] *Lothbroci* Regis *Danorum*. Quibus pater eorum una die exprobrando dixit; Quid dignum adquiſiſtis memoria, inter tot præliorum veſtrorum diſcrimina? certe quidam juvenis *Edmundus* à *Saxonica* deſcendens regnum *Eſtangliæ* pro velle diſponit. Quid vos unquam ſimile peregiſtis? Illi vero indignati ab illo die machinabantur, ſi quando opportunitas ſe obtulerit, B. *Edmundum* aut ſuæ potentiæ ſubjugare, aut trucidare. Poſtea quadam die *Lothbrocus* cum accipitre ſolus naviculam ingreſſus, ut in inſulis maris, & terræ vicinis aucuparet, ſuborta tempeſtate intra maris latitudinem raptus, & tandem in *Angliam* projectus, in provincia *Eſtanglorum*, quæ *Norfolch* dicitur, apud *Redham* villam applicuit, & ab hominibus regionis cum accipitre Regi *Eſtanglorum Edmundo* præſentatur. Suſceptus igitur cum honore rogabat S. *Edmundum*, ut ſibi liceret aliquandiu in ejus Curia demorari. Quo libenter conceſſo, junxit ſeſe venatori S. *Edmundi*, nomine *Berno*, ut venationem cum ipſo frequentaret: erat enim in aucupatione & venatione gratioſus, & à S. *Edmundo* bene dilectus. *Berno* autem Regis venatore ei tandem invidente, dum venatum irent furtivo impetu interficitur, & in ſilva abſconditur. Nutrierat autem idem *Lothbrocus* Leporarium quendam, qui ſolus cum corpore Domini ſui remanſit. Coactus tandem fame Leporarius regiam ingreditur aulam, & Regi maximè adulando cauda applaudit, ac ſatiatus rediit. Factumque eſt ita ſæpius, quouſque inſequentes corpus exanime reperirent, & cuncta Regi referrent. Examinataque rei veritate S. *Edmundus* decrevit, ut *Bernus* Venator ſuus in illa navicula, in qua *Lothbrocus* applicuit in *Angliam*, poneretur & in medio maris ſolus ſine omni inſtrumento navali dimitteretur. Dimiſſus igitur in mari poſt dies paucos, in *Daniam* projectus eſt. Cognoſcentes vero *Dani* naviculam, exegerunt ab illo, quid de Rege eorum actum eſſet. *Bernus* quoque, graviter afflictus, fingens mendacium dixit; quod Pater eorum & Rex, cum applicuiſſet in

1 Legitur *Bothbroci* in Cod. *Lambethano*.

An-

Angliam, jubente Rege *Eſtanglorum Edmundo* fuerat interfectus. At illi de morte patris turbati, & aliàs ex paterna exprobratione & invidia inflammati, juraverunt per omnipotentes deos, quod mortem illam & exprobrationem non relinquerent impunitam. *Bernum* quoque venatorem ductorem eorum conſtituerunt, ut ſe in Regem *Eſtangliæ* vindicarent. Anno igitur DCCCLXV. & anno Regni S. *Edmundi* X. *Ingwar* & *Ubba* cum *Berno*, comitantibus Regibus paganis *Halfdene*, *Oskitel*, *Bagſeg*, *Hoſten*, *Eowils*, *Hamund* & *Guthrum*, cum viginti millibus armatorum mare cum navibus ingreſſi verſus *Eſtangliam* vela direxerunt, ut ſe in Regem *Edmundum* ultum irent. Sed ventis in contrarium claſſem implentibus, in *Scotia* apud *Berwyk* ſuper *Twedam* applicuerunt. Ubi præmeditatam ſæviendo depopulationem inchoaverunt; pueros & ſenes quoſcumque ſibi obvios jugulaverunt; Sanctimoniales Virgines & Matronas ludibrio tradiderunt; Eccleſias, Monaſteria, & Miniſtros eorum, ferro & flammis conſumpſerunt. Omnis quippe, qui *Chriſtum* confitebatur, erat Illis quaſi publicus hoſtis, qui in fidem Catholicam graſſabantur; & quos Dei cultores eſſe noverant, omnino delere, aut ſervituti eos ſubjugare nitebantur. Deinde circa annum XI. regni S. *Edmundi* ad *Eſtangliam* navigio pervenientes, & per totum annum nunc mari, nnnc terra circumeuntes, Monaſteria, Civitates, & Villas incendiis & cædibus devaſtabant. Equos vero de exercitu S. *Edmundi* & de provincialibus ſibi rapientes equeſtres facti ſunt, & prout audebant diſcurrentes, cuncta peſſum dabant. Ex his tamen quotidie plures validè ab exercitu S. *Edmundi* interficiebantur. Quadam namque vice cum quidam illorum S. *Edmundum* in quodam Caſtro ſuo reſidere cognoſcerent, caſtrum ſtatim volentes evertere obſederunt; cum vero in obſidione obſeſſi & obſidentes dira fame laborarent, ne inopiam ſuorum Pagani perciperent, S. *Edmundus* multum frumentum projici præcepit, & taurum quendam, qui pinguis infra caſtrum paſcebatur frumento mundo ſaturari, & bene paſtum ultra muros ſtatim Paganis ad diripiendum juſſit exponi: & hoc avidè rapto, dum taurus diſciſ-

ſus, & pæne crudus Paganis famelicis devorandus aptaretur, recenti frumento inteſtina tauri repleta reperierunt; æſtimantes igitur obſeſſos omni copia ciborum abundare, utpote qui animalia ſua frumento paſcerent, clam timidi diſceſſerunt; quos S. Rex cum ſuo exercitu inſequens plures eorum interfecit. Alia vice cum Pagani in abditis ſylvarum locum, quo S. *Edmundus* ſubitò venerat, undique circumdediſſent, cum vix ſuorum aliquem ſecum haberet, ſylviſque ac aquis vel paludibus profundis undique circumdaretur, juxta fluvium quo erat, quatuor venæ aquarum ſemper fluentes eruperunt; deinde Rex per vadum ante incognitum, quod modo [1] *Berneford* dicitur, tranſiit, ſicque ad ſuos veniens ipſos coadunavit, celeriterque ſuper incredulos irruit, & eos proſtravit. Item relatione plebis refertur, quod dum vice quadam in quodam municipio ſuo forti moraretur, exercitus Paganorum illuc advolant, & caſtrum obſident; proſpicientes verò, quòd caſtrum eis inexpugnabile eſſet, recedere decreverunt; ſed quidam Latomus præ ſenectute cœcus, quem inter Præbendarios ſuos Rex paſcebat, mercede ductus infirmiorem locum caſtri, quo murus facilius inſultantibus cederet, indicavit, quoniam ipſe olim conſtructioni muri illius præpoſitus fuerat. Cum ergo S. Rex machinis impellentibus murum cadere cognoſceret, equo veloci per portam inter turmas Paganorum exiit; cum ergo inſequerentur à longè, ab eis inquiſitus, ubi Rex eſſet, reſpondit, velociter redite, quia cum ego in Caſtello eram, tunc Rex ibi erat. Hoc audientes eum inſequi omiſerunt, & celeriter ad perſcrutandum Caſtellum pro captione Regis redierunt. Quem cum minimè reperiſſent, tunc primò recognoverunt, quod ipſe Rex locutus eis eſſet: cujus timore ſtatim diſcedere paraverunt; quoniam ejus reditum cum exercitu collecto exterminabilem ſibi formidaverunt. Et cum furtim inde ſe ſubtraherent, Rex cum ſuo exercitu rediit, & omnes male dilaceravit, niſi qui fugæ præſidio ſe ſalvare potuerunt. Sicque poſt

---

1 Legitur *Dernford* in codice *Lambeth.*

varios

varios eventus bellorum, & magnos ſudores Sancti, & exercitûs ejus, ab illa regione diſcedere coacti ſunt. Poſtea de Orientali *Anglia* tertio adventûs ſui anno ad *Eboracum* per mare migraverunt, & illic pars maxima *Northanhumbrenſium*, duobus Regibus *Osbrichto* & *Alla* occiſis, occubuit. Qui vero evaſerunt, pacem cum Paganis pepigerunt. Quarto autem anno *Northanhumbros* relinquentes *Snotingham* & *Merciam* adierunt, ubi per annum hyemantes loca Sanctorum, & Monaſteria ſervorum & ancillarum Dei deprædantes combuſſerunt. S. vero *Ebbam* Abbatiſſam cum Virginibus ſuis in Monaſterio ſuo concremaverunt. Combuſſerunt inſuper *Lindisfarnenſe*, *Tynmuenſe*, *Girwenſe*, & *Weremuthenſe* & *Streneſhalenſe*, nobiliſſima Monaſteria. Et iterum anno quinto *Eboracum* redierunt, ibique, per annum manſerunt, inſanientes, debacchantes, & plures viros ac mulieres occidentes. In ſexto namque anno adventûs illorum, i. e. anno xv. regni S. *Edmundi* verſus *Eſt-Angliam* repedantes, ut ſe in S. *Edmundum* vindicarent, Monaſteria *Crulandiæ*, *Thorney*, *Burg' S. Petri*, *Rameſey*, *Seham*, & *Ely*, cum omnibus qui intus erant, flammis & ferro deſtruxerunt. Cumque maximas partes ab Occidentali Aquilone depopulando peragrâſſent, relicto *Ubba* ad ſarcinas cum ſpoliis & prædis innocentium, *Ingwar* cum multitudine armatorum ad *Eſt-Angliam* perveniens ad quandam civitatem S. *Edmundi*, *Thefordiam* nomine, caſtra metatus eſt; quam latenter introgreſſus ignibus cremandam dedit, pueros, ſenes cum junioribus obviam factos jugulat, & matronalem ſeu virginalem pudicitiam ludibrio tradendam mandat. Audiens autem quod Rex eorum apud *Egleſden* eo tempore moram faceret, miſit ad eum, ut ſpreto Deo ſuo idololatriæ ſe dedat, & theſauros ſub eo regnaturus dividat. Quo audito per nuncium, S. *Edmundus* cum exercitu ſuo proceſſit in hoſtes, & non longe ab urbe *Thefordia* contra eos ſibi obviam venientes grave commiſit prælium: nempe cum à mane diei uſque ad veſperam mutuò ſe proſtraviſſent, & pro nimia interfectorum multitudine ſanguine loca certaminis rubuiſſent,

Rex *Edmundus* non ſolum ex ſtrage commilitonum ſuorum, pro gente, & fide *Chriſti* decertantium, quos jam martyrio coronatos agnovit, condolebat, verum etiam pro nece paganorum ad infernum detruſorum amarè lugebat. Recedentibus itaque primitus paganis, S. *Edmundus* cum ſuis qui ſuperſtites erant ad *Egleſdene* reverſus eſt, ſtatuens in animo ſuo ſe nunquam de cætero contra paganos pugnaturum; ſed hoc ſolummodo ſibi videbatur fore neceſſarium, ut ſolus moreretur pro populo, & pro fide *Jeſu Chriſti*. *Ingwar* igitur cum de ſtrage ſuorum anxiaretur, venit ad eum apud urbem *Theford Ubba* cum x. millibus armatorum, & ſic junctis viribus ad *Egleſdene* venientes S. *Edmundum* martyrizaverunt. &c. [ut in Hiſtoria & Legenda de capite aſportato, & reportato, & corpori juncto, & de ſepultura utriuſque.] Occubuit autem S. *Edmundus* A. D. DCCCLXX. ætatis ſuæ XXIX. & regni ſui XV. Indictione III. Feria II. Luna XXII. XII. Kal. *Decembris*, ſepultus vero fuit in eodem loco, ubi occubuit; & jacuit ibidem in terra defoſſus per XXXIII. annos. Cæco igitur ibi ſanato, & multis jam factis miraculis, multitudo populi, non ſolum vulgi, ſed etiam nobilium, conſtruxit in villa de *Bedriceſworth* permaximam ligneo tabulatu Baſilicam; ad quam cum Clero & Pontifice tranſtulit eum de loco, in quo ſepultus erat poſt martyrium; cujus corpus cum capite corpori unito ita incorruptum eſt repertum, ac ſi eodem die fuiſſet ſepultum. Cujus incorruptionis teſtis poſtmodum erat quædam devota, *Oſwen* nomine, quæ circa dictæ tranſlationis primordia ad Sancti tumbam multa tranſegit annorum curricula; quæ etiam patefacto Sepulchro in Cæna Domini conſuevit ſingulis annis capillos & ungues S. Regis præſcindere, & in capſella devotè recondere.

Tempore igitur Regis *Ethelſtani* circa A. D. DCCCCXXV. perpendentes quidam Clerici Martyrem magni eſſe meriti ſub ejus patrocinio devoverunt ſe Deo perpetuò famulari. Fuerunt enim in principio VII. vel. VIII. progreſſu verò temporis multiplicati ſunt ad numerum XIX. viventes de præbendis ſuis, & oblationibus à fidelibus eidem loco collatis.

latis. Clareſcentibus igitur miraculis multa eidem Cœnobio Clericorum ob amorem S. *Edmundi* collata ſunt beneficia. Inter quæ Rex *Edmundus*, filius Regis *Edwardi* primi, & *Edgari* Regis pater, dedit S. *Edmundo* & Clericis ſuis villam de *Bedriceſworthe*, cum Charta, quæ incipit, "Quam-"vis decreta &c." A. D. DCCCCXLV. *Theodredus* inſuper *Elmanenſis* Epiſcopus *, (qui teſtis de incorruptione corporis Martyris prælibati erat veraciſſimus; quippe, triduano expleto jejunio, aperto locello, vidit & reperit corpus integrum, tetigit ac lavit, & rurſum novis veſtibus indutum locello repoſuit) ſuſpendi fecit latrones, qui S. *Edmundi* Eccleſiam voluerunt infregiſſe, ſed miraculosè per Sanctum fuerunt præpediti. Progreſſu vero temporis quidam nobilis, *Leofſtanus* nomine, de incorruptione Martyris dubitans, arroganter juſſit locellum aperiri, ut videret corpus Sancti; quo ad imperium ejus aperto, ſanctum corpus vidit, ac reperit incorruptum; & ſtatim arreptus à dæmone miſerabiliter exſpiravit.

A. D. MX. & anno Regis *Ethelredi* XXX. S. *Edmundus* propter infeſtationem *Turkilli* Comitis *Danorum Londoniam* eſt ab *Ailwino* tranſlatus, ſed tertio anno ſequente ad *Bedricesworthe* eſt reverſus.

† Anno ab Incarnatione MXIIII. cum *Sweyn Danorum* Rex *Angliam* ſubjugando, generale tributum ſibi ſolvi præcepiſſet, acceſſerunt Epiſcopatus *Eſtangliæ* parochiarum tam de *Norfolk* quam de *Southfolk* ad S. *Edmundum*, flebiliter orantes ut eos à tam crudeli oppreſſione potenter eriperet: admonitus igitur *Aylwinus* in ſompniis à S. *Edmundo Swanum* pro populo ex parte ejuſdem Sancti rogaturus adiit, ſed non exauditus cum mœrore multo rediit. Exaudivit religioſos *Edmundus*, populum exaudivit, & Deus orantem *Edmundum*: nocte enim Purificationis B. *Mariæ*

---

* Codex *Lambethanus* poſt hæc verba "*Elmanenſis* Epiſcopus" addit "& poſtea *Londinenſis*." † Cum ea quæ de *Swano* in Regiſtro *Curteys* occurrunt, propter Abbreviatoris vel Exſcriptoris incuriam mutila ſint & obſcura, ſupplet hic Paragraphus, quæ de ipſo Monachi legenda tradunt è Codice *Lambethano*, qui S. *Edmundi* Vitam iiſdem (ſi pauca excipias) verbis abbreviatam continet.

S. *Ed-*

S. *Edmundus* ipſum *Swanum* apud *Gaynesburgh* lancea ſua tranſverberans interfecit. Quo divulgato miraculo populus exultavit tripudio, volentes quoque S. *Edmundo* grates rependere, de qualibet carucata terræ in toto epiſcopatu IV. denarios annuos in perpetuum conferre Sancto decreverunt, quod ea de cauſa *Carucagium* appellatur; quodque poſtea tempore Monachorum per *Herbertum* Epiſcopum *Norwicenſem* fraudulenter ab Eccleſia S. *Edmundi* eſt alienatum, & Eccleſiæ *Norwicenſi* appropriatum.

A. D. MXX. & à paſſione S. *Edmundi* anno CL. Rex *Canutus* filius *Swani* anno regni ſui VI. ad magnam ſolertemque inſtantiam *Ailwini* Præſulis *Elmanenſis*, (cujus ſedes Epiſcopalis poſtea ad *Thetford* per *Arfaſtum*, & tandem per *Herbertum Thetfordenſem* Epiſcopum, uſque ad *Norwicum* extitit tranſlata) Clericis, qui ad tunc apud *Bedriceſworthe*, (quæ nunc Villa S. *Edmundi* nuncupatur,) vitam actitabant minus regularem, abinde expulſis & ejectis, Monachos Ordinis S. *Benedicti*, regulariter profeſſos, Abbatem nomine *Uvium* eis præficiendo, ibidem introduxit. Per CCCLXXXIII. annos, poſtquam *Sigebertus*, Rex *Eſtanglorum*[1], [qui] apud *Bedriceſworth* prædictum Monaſterium conſtruxerat; in quo, accepta tonſura monachica, æterno Regi *Chriſto* per multorum annorum curricula deſervivit; & tandem A. D. DCXXXVII. à Rege *Merciorum Penda* nomine, pagano & ſacrilego, fuerat interemptus. per CCXXXIV. annos ante paſſionem S. *Edmundi*. Quibus Abbati & Monachis, ſic ad dicti Præſulis inſtantiam ibidem introductis, idem Præſul munificus ad tunc exemptionem conceſſit ſpecialem, omne, videlicet, jus ſuum ac juriſdictionem, nec non omnibus dictum oppidum ſive in ejus circuitu per unius ſtadii ambitum inhabitantibus ab ipſius Epiſcopi Succeſſoribus, aut à quibuſcunque aliis E-

---

1 Si vocem [qui] ſenſum planè turbantem delendam eſſe concedas, 383. annorum ſpatium ex ipſius ſententiæ ſtructura ad Eccleſiæ fundationem referendum intelliges, ut Autor pag. 7. monet, ubi eadem verba è Chronicis *Crolandiæ* & *Ceſtriæ* citantur; licet error de anno, quò *Sigebertus* interfectus eſt, ſupererit.

piſcopis,

piſcopis juſtè & legitimè creatis & ordinatis licentiam recipiendi omnia Epiſcopalia Sacramenta liberè concedendo: nec non idem Monaſterium, Abbatem, Monachos, & Oppidum, cum omnibus & ſingulis in eodem Oppido commorantibus, à ſua juriſdictione Epiſcopali & omnium Succeſſorum ſuorum, pro perpetuis ex tunc futuris temporibus gratanter eximendo. Hic inſuper *Ailwinus* anno primo immediatè ſequente poſt introductionem Monachorum apud S. *Edmund.* anno videlicet MXXI. conſtruere cepit Eccleſiam S. *Edmundi* in eodem loco, in quo per *Sigebertum* Regem antedictum primitus conſtructum erat Monaſterium; (in quo idem Rex devotus, habitu tectus monachico, vitam duxit Regularem, tempore *Felicis Eſtanglorum* Epiſcopi; prout ex Chronicis *Crolandiæ* atque *Ceſtriæ* colligitur manifeſtè.) Cujus conſtructionis ſumptus à caſu miraculoſo contigit [ſcilicet *Carrucagii* oblatione S *Edmundo Swani* interfectori conceſſa] ex qua quidem pecuniæ collecta incepta fuerat Eccleſia S. *Edmundi*, quæ anno ab inceptione ejuſdem XII. videlicet A. D. MXXXII. ab Archiepiſcopo *Agelnotho* in honore *Chriſti*, B. *Mariæ*, & S. *Edmundi* extitit dedicata: in qua ad feretrum Martyris glorioſi, ob ipſius reverentiam, plerique Reges *Angliæ* ſuas tranſmittere coronas perſæpe conſueverunt.

Cum autem hujus Præſulis magnifici factorum & operum fama ad aures prædicti Regis *Canuti* primò perveniſſet, idem Rex *Canutus* prælibati Præſulis facta memoranda plurimum commendavit; ac non multis poſtea diebus interpoſitis, anno videlicet regni ſui v. (videlicet per CXXX. annos ante compilationem Decretorum, quæ A. D. MCL. fuerant compilata: anno ſcilicet Pontificatûs *Eugenii Papæ* III. ſeptimo, ac ante compilationem aliorum Canonum quorumcunque,) cunctos regni ſui Prælatos Procereſque ac Magnates ad ſuum convocans Parliamentum, in ſuo publicè Parliamento, perſiſtentibus perſonaliter in eodem *Welſtano* & *Adelnodo* Archiepiſcopis, & dicto *Ailwino*, & aliis Epiſcopis eorum Suffraganeis, VII. quoque Ducibus, cum totidem Comitibus, nec non diverſorum Monaſteriorum non-

nonnullis Abbatibus, cum quam plurimis gregariis militibus, ac cum populi multitudine copioſa, ac omnibus, ad tunc in eodem Parliamento perſonaliter exiſtentibus, votis Regiis unanimiter conſentientibus, prædicti Præſulis *Ailwini* facta memoriæ commendando, exemptionem videlicet, & alia per ipſum præfato Abbati & Monachis præconceſſa gratanter confirmavit; ac inſuper Foſſatum terræ circumduxit, immunitatem ab omni præſtatione conceſſit; Baſilicam ſuper corpus Martyris conſtruxit: nec non eidem Monaſterio plurima donavit prædia; præceptum inſuper & decretum ad tunc & ibidem ordinans & conſtituens, quod prædictum Monaſterium ſit per omne ævum Monachorum gregibus deputatum, ad inhabitandum, & ab omni juriſdictione omnium Epiſcoporum Comitatûs illius ex tunc & in perpetuum funditus liberum & exemptum; prout in Charta ejuſdem Regis *Canuti*, impreſſione crucis ſignata pro ſigillo (cui omnes & ſinguli tam Prælati quam Proceres ſupradicti crucis ſignum ſimiliter impreſſerunt, ipſorumque omnium nomina, poſt Regis antedicti nomen prædicabile, in ipſa eadem Charta concorditer ſubſcripſerunt) cuilibet, ejuſdem Chartæ tenorem ſedulè intuenti, patet evidenter. Ut autem prædictorum Regis *Canuti* & Præſulis *Ailwini* præcepta & decreta unanimi, ut prædicitur, totius Parliamenti conſenſu & aſſenſu veraciter roborata, perpetuis ex tunc futuris temporibus firma & ſtabilia atque infringibilia valerent perdurare, illuſtris Rex *Hardecanutus*, prædicti Regis *Canuti* filius, Hæres, & Succeſſor, ac ſui patris veſtigiorum devotus imitator, increati Patris ſuccenſus amore, glorioſique Martyris S. *Edmundi* patrocinio gaudens, & honore; cum favore laudeque Eccleſiaſticorum, videlicet *Agelnodi Dorobernenſis*, nunc *Cantuarienſis*, & *Alfrici Eboracenſis* Archiepiſcoporum, aliorumque Epiſcoporum, ſuorum Suffraganeorum, nec non cunctorum regni ſui mundanorum Principum conſilio, deſcriptum conſtituit roboravitque præceptum, ut nullus Archiepiſcoporum aut Epiſcoporum, vel aliqua ſecundi ordinis eorum diſciplinatui adhærentium perſonarum audens quoquo modo ſuæ con-

conſtitutionis violare judicium præſumeret; quicquam conſuetudinis ſive dominationis in prædicto Monaſterio, & villa antedicta, ſive ſuper Monachos, Clericos, aut Laicos, proclamare, uſurpare, juſtitiam aliquam facere, aut Miſſas celebrare, niſi à præfati loci Abbate ſpecialiter fuerit invitatus; pœnam nimium formidabilem ſub verborum ſerie ſubſequentium firmiter injungendo: *Si quis*, videlicet, *poſterorum* Hardecanuti *præceptum aggreſſus fuerit temere calumpniari, decretumve infringere ſupradictorum Eccleſiaſticorum Prælatorum, prolatæ excommunicationi ſubjaceat, & cum* Juda *traditore ignis tartarei pœnas indeſinenter luat & ſuſtineat: ac inſuper Regis fiſco xxx. auri talenta perſolvat:* [quæ in pecunia numerata reddunt, & in ſe continent librarum x. millia] in qua pecuniæ ſumma quidam *Norwicenſis* Epiſcopus, prædictorum præcepti & decreti violator temerarius, ſuis exigentibus demeritis, quondam per placitum diuturnum, ac tandem per judicium, fuerat condemnatus: prout per Chartam regiam eadem placitum & judicium ſeriosè exemplificantem patet manifeſtè. Ex tunc autem prædictorum Regum nobilium Succeſſores egregii, glorioſus videlicet Rex & Confeſſor S. *Edwardus*, *Willielmusque* Rex illuſtris & Conqueſtor *Angliæ*, ac nonnulli alii Reges Deo ſatis devoti, ante Decretorum ſive aliorum Canonum quorumcunque, ut prædicitur, compilationem, præcepta & decreta antedicta benignè confirmaverunt; prout per tenorem Chartarum, ſcriptorum, & munimentorum eorundem, apparet evidenter. Ut inſuper omnium Regum prædictorum præcepta & decreta, per quemlibet eorundem ſolidè confirmata, perpetuis ex tunc futuris temporibus infringibilia & inconcuſſa valerent perdurare, *Alexander* Papa II. anno pontificatûs ſui XI. videlicet A. D. MLXXI. ad inſtantiam præfati *Willielmi* Regis & Conqueſtoris, Regis *Willielmi* ac omnium aliorum Regum, ſuorum Prædeceſſorum prædictorum, præcepta & decreta benignè confirmavit, per LXXVIII. annos ante compilationem Decretorum, vel aliorum Canonum quorumcunque, ut eſt ante dictum. Cujus Succeſſor immediatus *Gregorius* VII. *Urba-*

nuſque II. & *Calixtus* II. ac nonnulli alii *Romani* Pontifices præfati *Alexandri* II. præcepta & decreta ante Decretorum, ut ſæpe antedictum, compilationem de facto confirmaverunt: prout per ipſorum omnium Bullas patet ſatis clarè. Præterea *Alexander* Papa III. anno pontificatus ſui III. videlicet A. D. MCLXIII. & anno poſt compilationem Decretorum XIII. omnium Prædeceſſorum ſuorum *Romanorum* Pontificum, ac etiam omnium Regum prædictorum præcepta & decreta, unà cum Regis *Henrici* II. ad tunc apicem Regni gubernantis præcepto & decreto, firmiter roboravit; & ſuis Bullis authenticis de facto confirmavit; nonnulla alia privilegia valde ſpecialia inſuper concedendo: prout ex ipſius *Medulla Bullarum* colligi poteſt evidenter. Proceſſu vero temporis nonnulli, ac pene omnes ex tunc, Summi *Romani* Pontifices, tam Prædeceſſorum ſuorum prædictorum, quàm Regum ſuperius memoratorum præcepta & decreta, firmiter ſuis Bullis roborantes, firmiſſimè confirmaverunt. Ac inſuper omnes ex tunc *Angliæ* Reges nobiliſſimi omnium Progenitorum ſuorum prædictorum præcepta & decreta in firma permanere ſtabilitate per ſuas Chartas ſpeciales veriſſimè decreverunt: quare ipſorum omnium memoria cum Sanctis Dei præelectis in laude ſit perpetua. Amen.

Et ſic per præmiſſa patet luculenter, quod prædictum S. *Edmundi* Monaſterium à ſecundâ introductione Monachorum ibidem per *Canutum* ab omni juriſdictione & dominatione tam Archiepiſcoporum quam Epiſcoporum ac etiam omnium aliorum Principum mundanorum liberum extitit & exemptum, S. *Edmundi* intervenientibus meritis, qui poſt martyrii triumphum venerabilem accipere meruit à Deo coronam immarceſſibilem; cum quo vivit, & regnat, & imperat, quotidiè magna faciens miracula his qui devotè ipſius humiliter poſtulant ſuffragia.

N. V.

Quæ de *Theodredo* Patrono ſuo Monachorum Regiſtra tradunt, ſcilicet, non modo Parochiæ *Londinenſi*, ſed & *El-*

Elmamenſi præſediſſe, qui ſuperſunt Epiſcoporum catalogi non confirmant: inter *Londinenſes* enim *Theodredi* nomen non occurrit, niſi illius qui cum *Athelſtano* ad bellum contra *Analavum* profectus eſt, A. D. CMXXXVIII. inter Epiſcopos autem *Elmamenſes Theodredus* I. *Edgaro* demum regnante *Alfrico* Succeſſor Epiſcopatum adiit, annis poſt *Athelſtani* obitum fere XX. jam elapſis: hunc nodum igitur clariſs. *Whartonus* in Hiſtoria de Epiſcopis [1] *Londinenſibus* &c. ita ſolvendum eſſe conjectatur; nempe ſedem *Elmamenſem* poſt *Wildredi* obitum aliquandiu vacâſſe, & durante hac vacatione Epiſcopos *Londinenſes* proximæ Diœceſeos *Elmamenſis* curam geſſiſſe; & *Theodredum Londinenſem* Epiſcopum hinc *Elmamenſem* etiam ab Hiſtoricis dictum fuiſſe: quocunque autem modo ſe res habet, ſive ſedes *Elmamenſis* Epiſcopi *Londinenſis* curæ aliquandiu commiſſa ſit; ſive Epiſcoporum *Elmamenſium* inter *Wildredum* & *Adulphum* nomina exſcriptorum incuria omiſſa ſint, ſive Monachi *Burienſes* Patronum Epiſcopi *Elmamenſis* titulo ſine cauſa honeſtârint; Ipſe *Theodredus* qui S. *Edmundo* maneria legavit, teſtimonio ſuo ſe Epiſcopum *Londinenſem* fuiſſe prodit; initium enim teſtamenti ſic ſe habet, *Ic* Theodrede Lundoneware *Biſcope*, *Ic un that Lond at* Newtune, *& at* Horninggeſhirth, *& at* Ickworth, *& at* Wepſtede *into S.* Edmundes *Kirke*.

N. VI.

Donationum & Privilegiorum Syllabus, quem opere confecto Autor in Appendicem rejicere pollicitus eſt, inter deſiderata eſt habendus.

N. VII.

Licet *Caii* [2] ſententiam de Foſſato *Novomercatenſi Stovæus* (pag. 93. *Lond.* 1615.) amplexus ſit, patet tamen, tum ex *Sampſonis* Abbatis Charta de Burgenſium privilegiis in Regiſtro Nigro fol. 199. deſcripta, & in Appendice N. XXII.

---

1 *Lond.* 1695. pag. 30. 2 In Antiq. Acad. *Cantab.* p. 56.

edita, tum ex aliis ejuſdem Regiſtri partibus, quod Foſſatis (licet eorundem veſtigium nullum niſi extra portam Auſtralem appareat) villæ pars maxima olim circundata eſſet & munita.

N. VIII.

Charta *Canuti* è Regiſtro Sacriſtæ fol. 20.

In nomine poliarchis *Jeſu Chriſti* Salvatoris mundi tociuſque creaturæ creatoris, cujus divino dominatui quæque dominationes debito ſervicio ſubnixè deſerviunt, cujus etiam omnipotentatui univerſi potentatus obſecundari examuſsìm properant, quia bonitatis ejus bonitas eſt incomprehenſibilis, & miſeratio interminabilis, dapſilitas bonitatis ineffabilis, longanimitas quoque ſuper pravorum nequitias quantitatis prolixitate cujuſlibet longior, qui cotidianis admonitionibus religioſam converſationem ducentes monet, ut piæ ſectando juſtitiæ culturam non eam deſerendo linquant, quin pocius perſeverabili inſtancia in ejus cultura ut permaneant, paterno affectu hortatur, qui nihilominus eadem affectione mandat peccatoribus ut recipiſcant à ſuis iniquitatibus convertentes, quia eorum execratur mortem. Ejus amoris ſtimulo & fide ſuffultus, cujus largiflua miſeratione Ego *Cnut* Rex tocius *Albionis* inſulæ aliarumque nationum plurimarum in Cathedra Regali promotus, cum conſilio & decreto Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, aliorumque omnium meorum Fidelium elegi ſanciendum, atque perpetuo ſtabilimento ab omnibus confirmandum, ut Monaſterium quod *Bedriceſworth* nuncupatur, ſit per omne ævum Monachorum gregibus deputatum, ad inhabitandum, & ab omni dominatione omnium Epiſcoporum Comitatûs illius funditus liberum, ut in eo Domino ſervientes Monachi ſine ulla inquietudine pro ſtatu regni Dominum valeant precari. Placuit etiam mihi hanc optionis electionem roborare privilegio iſto, in quo videre præcepi libertatis donum, quod jam olim *Eadmundus*

mundus Rex Occidentalium *Saxonum* largitus eſt ſuo Equivoco pro nanciſcenda ejus gratia & mercede æterna: ſcilicet *Eadmundo* Regi & Martyri, quod bonæ voluntatis voto augere cupimus, quatenus ejus promereri precibus merear porcionem ejus beatitudinis poſt hujus curſum vitæ. Tali libertate concedo fundo frui illi, in quo idem Sanctus pauſat, ut quocies populus univerſus perſolvit cenſum *Danis*, vel ad naves, ſeu ad arma, perſolvant inhabitantes in ipſo fundo eadem ad uſus, quos elegerint Fratres illius loci. Sitque nobis remedio hoc, mihi quippe atque Reginæ meæ *Aelfgife*, ac filiis noſtris, omnibuſque qui pridem ei hoc contulerunt. Huic libertati concedo additamentum, ſcilicet maritimos piſces qui mihi contingere debent annualiter per thelonei lucrum, & piſcationem quam *Ulfkitel* habuit in *Wylle*, & omnia jura quarumcunque cauſarum in villis quæ Monaſterio adjacent, & quæ adjiciendæ ſunt per gratiam Dei. Dedi quoque Reginæ meæ aſſenſum, concedens ei pro ſua eleemoſina dare IV. millia anguillarum cum muneribus quæ pertinent ad illas pro annuali cenſu in villa quæ cognominatur *Lackyngheth*.

Si quiſlibet, quod abſit, iſtam libertatem quoquolibet conatu nititur Servitutis jugo ſubigere, vel prava intentione tranſmutare, ut rurſus Clericos in eo collocet, ſit addictus captivitati æternæ, carens ſempiterna libertate, & mancipatus ſervitio Diaboli, ejuſque conſortio ſit inextricabilibus habenis conſtrictus, niſi ſatisfactio ejus erratui ſubveniat; quod prorſus optamus.

+ Ego *Cnut* Rex gentis *Anglorum*, aliorumque nihilominus, hoc privilegium juſſi componere, & compoſitum cum ſigno Dominicæ crucis confirmando impreſſi. + Ego *Aelgifa* Regina omni alacritate mentis hoc confirmavi. + Ego *Wlſtanus* Archiepiſcopus conſenſi. + Ego *Althelnothus* Archiepiſcopus confirmavi. &c.

N. IX.

N. IX.

Charta *Edwardi* Regis & Confeſſoris de monetario habendo, è Regiſtro Sacriſtæ fol. 23.

Edward King gret *Aylmer* Biſſcop, & *Girth* Erl, & *Toly* & all mine Theynes on *Eſtangle* frendlike. And Ic kithe ihu that Ic habbe unnen *Baldewine* Abbot one munetere with innen Seynt *Edmunds Biri*, alſo frelike on alle thing to habben, alſo me mine on hande ſtonden ower on ani mine burgh aldrefrelikeſt. God ſe ihu alle frend.

N. X.

Cum Tractatus, cui titulus *Omnia tangentia cuneum Monaſterii S.* Edmundi, quem in Regiſtro ſuo *Walterus* de *Pinchbeck* fol. 212. &c. deſcripſit, præter Regum Chartas, Baronum de Scaccario Brevia, & Abbatum Literas rem monetariam ſpectantes, continet aliqualem conſuetudinum in Cambiis *Angliæ* illis temporibus uſitatarum Hiſtoriam, Lectori non ingratum erit, quod eandem in compendium redactam poſſit conſulere ; quam ita orditur Regiſtri Autor. fol. 213. p. 2.

Quanquam cauſæ & rationes monetæ faciendæ & cenſura examinis apud nonnullos difficiles ſubtileſque reputentur, illam tamen materiam, prout parvitas ingenii mei adadminiſtrat, in ſcriptis ſub compendio declarabo.

Fertur enim, quod quidam *Numus Pompeyus Romanorum* Imperator primus omnium monetam fieri imperavit, à cujus nomine *Nummi* nuncupantur: factis itaque nummis cupreis, argenteis, aureis, quòd ſinguli nummi argentei valebant decem nummos cupreos, & ſinguli nummi aurei valebant decem nummos argenteos, ideo à numero *Denarii* ſunt vocati ; & ab illo huc uſque utitur, ut omnis nummus *Denarius* appelletur : ſed moneta *Angliæ* fertur dicta fuiſſe à nominibus opificum, ut *Floreni* à nominibus *Florentiorum*, ita *Sterlingi* à nominibus *Eſterlingorum* nomina ſua contraxerunt

xerunt, qui hujuſmodi monetam in *Anglia* primitus componebant. Verumptamen quia de Obolo, vel Ferlinges, loqui non indiget, quia tantummodo in Cambio *Londonii* componuntur, & non alibi; tamen de denariis, qui vulgariter *Sterlingi* vocantur, perloquamur.

Inchoandum imprimis eſt de Miniſtris cujuſcunque Cambii, & de eorum officiis, pertractare: ſciendum eſt autem, quod in omni Cambio tria officia ſunt neceſſaria, viz. Magiſtri, monetæ Cuſtodis, & Campſoris ſive Aſſayatoris. Ad Magiſtum autem pertinet tam argenti tranſmarini vel cismarini, quam billionis cognitio, & ejuſdem emptio & aſſayatio, ac omnimoda monetæ diſpoſitio, necnon Operariorum & Monetariorum, ac ſuorum ſubditorum gubernatio, & cohertio; idem quoque Magiſter tam pro ſe quam pro omnibus Monetariis & Operariis ſuis, pro omnimodis expenſis, & cuſtagiis ſuis, ac etiam pro decaſu argenti de ſingulis libris per ipſum monetatis v^{d}. tantummodo accipere debet; & ſi ipſe Cuſtos cum ipſo Magiſtro pro minori convenire poſſit, bene licet. Ad Cuſtodem vero pertinet peritia computandi, aſſayandi, & omnium aliorum officiorum cognitio, per quæ ſufficientia monetæ probari valeat; quod ſi Cuſtos hoc ignoret, habeat quempiam ad hoc idoneum in loco ſuo, qui in illo officio ſit circumſpectus. Item ad ipſum Cuſtodem ſummopere pertinet cuneos ſculptos, tanquam ſigillum regium, diligenter cuſtodire, & videre, quod in ipſis cuneis per Monetarios illi officio deditos apertè & aptè abſque defectu denarii monetentur; & ut ſummam, quam cum quolibet cuneo fecerit, Cuſtodi cuneorum D. Regis correſpondere ſciat †.

---

† In Cambio *Londini* ad cuneos Regis cuſtodiendos duo ſunt intendentes: unus viz. ex parte Regis, qui ferrum & aſſerum emere debet, & à fabro uſque ad manus ſculptoris lamina ferrea formata portare, ipſoſque cuneos ſculptos, & rite paratos, quotiens cudere & monetare neceſſe fuerit, deliberare; & Monetarios, ut aperte flodones cudant, ſupervidere; & alius ex parte D. *Johannis* de *Buturtis* qui habet in uxorem filiam & hæredem *Thomæ* filii *Ottonis*, cujus eſt de fœdo cudere cuneos Regis, qui deſerviunt per totam *Angliam*, qui capit pro ſculptura & fabricatura cujuſlibet duodenæ VII^{s}. cujus vero officium eſt cuneos uſi-

Cuſtos (monetatione & dealbatione peractis) denarios cum omni diligentia conſervare tenetur, ne à ſua cuſtodia uſquequaque transferantur, donec per examinationem idoneam fuerint aſſayati; & ſit idcirco Campſor circumſpectus in qualibet examinatione monetæ facienda eò tenerius, quia unde Magiſter in examinatione exoneratur, inde tam Campſor quam Cuſtos totaliter oneratur; ita ſc. quod poſt deliberationem Magiſter non tenetur reſpondere, præterquam in Pyxidis ſuæ examinatione: in poteſtate vero Cuſtodis, vel officio Campſoris exiſtit, monetam, quam invenerit idoneam, deliberare, ac etiam non idoneam reprobare, ac ipſam monetam reprobatam ad funditorium remittere, ſi neceſſitas exegerit, totaliter de novo reformandam.

Reſtat videre, qualiter monetæ examinatio ſit agenda.

Cum Magiſter monetæ denarios monetatos, dealbatos, præparatos, in examinationis locum, ut in Cambio, portaverit, ſingulos ſimul ſuper ſcaccarium canobo coopertum reponat, inde denariis per manus Magiſtri monetæ, & ipſius Campſoris, multipliciter mixtis, capiat Campſor manum ſuam plenam è medio cumuli, uſque dum percepit VI. libras; poſtea diſponat eas in quatuor partes bis aut ter, ita ut mixtura bene fiat; deinde ponderet de iſtis libris ſic mixtis & revolutis tres libras bene & ſubtiliter cum ſtandardo xx^{s}. * quod efficitur per rectitudinem granorum; & ſic ſingulis libris ſingulanter, prout rectius poterit, ponde-

---

uſitatos deforare, ne amplius deſerviant, & penes ſe omnes veteres cuneos ad opus Domini, ut pro fœdo ſuo, retinere. Quamvis autem inter iſtos duos cuneorum Magiſtros tam de novis cuneis, quam de veteribus & uſitatis, & tam de liberationibus quam de reſtitutionibus eorundem indentura facta ſit, & ipſis reſtet reſpondere Baronibus de Scaccario D. Regis, & Cuſtodi ſuo, quantæ libræ fuerint monetatæ cum quolibet cuneo uſitato *Londonii*, *Cantuariæ*, S. *Edmundi*, *Lincoln.* & alibi per totam *Angliam*; tamen expediens eſt, ut Cuſtos cujuſque Cambii, quotiens *Londoniam* pro cuneis habendis miſerit, & ab ipſis cuneorum Cuſtodibus novos cuneos perceperit, & veteres reſtituerit, diem receptionis novorum, & reſtitutionis veterum irrotulet, & ſummam, quæ cum illis fuerit monetata, in quantum poterit memorari.

* Libra argenti ponderat XII. Unc. Uncia ponderat XX. Den. Denarius XXIV. Grana.

ratis

ratis, tradat unam libram Cuſtodi computandam, & aliam Magiſtro monetæ, tertiam alicui aſſidenti, aut ſibi ipſi; & computentur diligenter; & ſi unus ipſorum inveniat xx^{s}. & II^{d}. ultra, alius II^{d}. & tertius III^{d}. ponendi ſunt in indentura, & computo per II^{d}. ob. & ſemper ſunt deliberabiles; cum juſtum eſt, quod quilibet Mercator habeat ad quamlibet libram pro incremento ſuo III^{d}. Et ſi unus inveniat xx^{s}. & ultra III^{d}. alius III^{d}. & tertius IIII^{d}. ponendi ſunt per III^{d}. & ob. Et ſi unus inveniat xx^{s}. & ultra III^{d}. & alius IIII^{d}. & tertius IIII^{d}. ponendi ſunt per IIII^{d}. Et ſi caſu aliter acciderit, ut ſemel in anno, quod unus inveniat xx^{s}. & ultra IIII^{d}. alius IIII^{d}. & tertius v^{d}. reprobi ſunt & indeliberabiles, tamen quia ſemel, vel rarò acciderit, ponendi ſunt per IIII$_{d}$. & rarius poſſunt deliberari †. Caveat tamen omnino Campſor, ne monetam excedentem ultra quatuor denarios ad libram deliberet; quia hoc foret dampnum Regi & regno ſuo, eò quod incrementum excedens ultra xx^{s}. per computum incurrit in avantagium Mercatorum argentum ſuum deferentium tantummodo.

De ſupradictis tunc libris ſic computatis capiat Campſor xx^{s}. & quilibet denarius in ſubtilibus balanciis ſingulariter ponderetur; primò cum debili denario, & ſi inveniantur III. den. debiles in una libra, impedietur deliberatio, ut fiat emendatio, i. e. ut mixta cum alia fortiori moneta, iterum ponderata & examinata poſſit deliberari: ſimiliter quilibet denarius cum iiſdem balanciis ſingulariter ponderetur cum forti denario, & ſi inveniat II. denarios fortes in una libra, impedietur deliberatio, quouſque mixta cum alia debiliori

† Ne Libra argenti ad Cunei uſum in folium fabricata in partes ultra IV. ſupra xxs. i. e. in Denarios ultra CCXLIV. dividatur, vel nequa pars, ſi fieri poſſit, à granorum XXIV. pondere diſtet, foliorum ſciſſio debet fieri per certos Compararios deditos ad monetam, per quos etiam præparatur fabricando, recoquendo & in flodonibus diſponendo: iidem quoque Operarii dietas ſuas Magiſtro monetæ reſtituentes pro unaquaqne libra IId. ob. à Magiſtro ſuo percipere debent, Magiſter vero eoſdem flodones faciat candidari, quos ad cudendum Monetario deliberabit, qui etiam monetatione completa pro qualibet Libra Id. ob. à Magiſtro pro ſtipendio ſuo recipiet.

moneta, iterum ponderata & examinata, ut ſupra dicitur, poſſit deliberari *.

Et ſi aliqui denarii inepti uſui diſcernuntur propter fortitudinem aut debilitatem, ita quod multum diſtant à moneta deliberabili, tunc, ſi aliter emendari non poſſunt, erit tota illa moneta fundata tanquam reproba; & ad cuſtus Magiſtri totaliter renovanda remittetur.

Deinde de denariis approbatis ad quamlibet deliberationem capiat Campſor de ſingulis x. libris unum den. & de c. libris x. den. ſemper ſecundum quantitatem deliberationis; (quia de minori quam x. libris non poteſt Pyxis fieri, nec denarius capi) & in quadam cincia de *line* panno 1. den. de x. libris, vel x. de c. libris quadam parva ſchedula his verbis intitulet, "Hic eſt unus Denarius captus de de-"cem libris:" aut, "Hic ſunt decem Denarii capti de cen-"tum libris Sterlingorum, deliberatorum die tali, menſe "tali, anno tali &c." ſupra quam cinciam Magiſter monetæ apponat ſigillum; & contra Pyxidem capiat Magiſter monetæ, aut Cambſor ad quamlibet deliberationem unum aſſayum aut duos, ſi fieri poſſit, unde Pyxidem ſuam, quotiens neceſſe fuerit, poſſit probare.

Et portentur † tales cinciæ in quadam Pyxide ſub tribus ſerruris, de qua Cuſtos habeat unam clavem, Magiſter monetæ aliam, & Campſor ſeu Examinator tertiam; quia ibidem latet periculum & judicium de vita & membris. Pyxis vero, in qua tales cinciæ recluduntur, ad hoc deſervit, ut cum D. Rex monetam in regno ſuo fabricatam, & uſui liberatam per communem Aſſayatorem examinare voluerit,

---

* Denarius juſtus ponderat XXIV. grana. Den. fortis XXV. grana & dimid. debilis XXII. grana & dimid. & ſecundum uſum Cambii *Londinenſis* (ut ex Memorandis Scaccarii de anno regni Regis *Edwardi* filii *Henrici* VIII°. in menſe *Junii* Regiſtri Autor aſſerit) VI. Den. debiles, & VI. Den. fortes, qui intra unum granum & dimid. à juſto XXIV. granorum pondere diſtant in qualibet Libra poſſunt præteriri: vix igitur ſatis ſibi conſtare videtur, cum deliberationem impediendam eſſe tradit, modo III. den. debiles vel II. fortes in eadem libra inveniantur.

† In hac ſententia ſupplendum videtur [ad Regis Scaccarium]

per

per examen earundem cinciarum, & chirographi, vel indenturæ inter Cuſtodem & Magiſtrum monetæ, de liberationibus monetæ per dietas factis, poſſit probare & recognoſcere numerum librarum & ſufficientiam ab ultima examinatione uſque tunc, & judicialiter diſcernere.

De hujuſmodi examinatione publica hæc tradit Regiſtri Autor fol. 216.

Si fiat examinatio per Aſſayatorem publicum Regis de Pyxide, ſumendum eſt aſſayum de omnibus denariis totius Pyxidis ſimul mixtis: inauditum eſt enim omnibus ubique monetariis, quod alicubi judicium Pyxidis aliter unquam fuerit terminatum, ſemper enim licitum eſt unam monetam in eadem Pyxide per aliam emendare, & ad hoc ſuffragatur conſuetudo communis tam in regno *Angliæ*, quam in aliis regnis hactenus approbata.

Aut igitur Aſſayum rite factum invenitur ſufficiens aut deficiens: ſi ſufficiens, tunc quietus erit Magiſter omnino; ſi deficiens, aut defectus ille erit infra terminum limitatum, infra quem Pyxis monetæ eſt deliberabilis ſecundum conſtitutionem Principis, & tunc in deliberatione Pyxidis præcipietur Magiſtro, quod meliorem monetam faciat, & aliter non erit inde quietus, quouſque emendatio plenariè compleatur; aut defectus ille erit extra terminum limitatum, extra quem Pyxis monetæ non erit deliberabilis ſecundum eandem conſtitutionem Principis, & tunc, cum non ſit locus emendationi, Magiſter monetæ erit ad gratiam & voluntatem Principis de vita & membris; Princeps vero conſiderabit utrum ille defectus ſit mediocris vel enormis; ac etiam, ſi Pyxis effecta ſit de paucis dietis, vel de pluribus, & utrum caſualiter, vel ſtudio fraudis acciderit, & ſic, conſideratis circumſtantiis, vel remittendum diſcernet delictum cum laude miſericordiæ, vel plectendum cum rigore juſtitiæ.

Sin autem utroque modo fiat examinatio viz. antequam denarii deliberentur, & iterum certo Termino de Pyxide

[in Scaccarium delata] tunc prima examinatio dematur, & ſecunda examinatio, ſc. de Pyxide, erit per judicium terminanda; Juſtitia enim non patitur, quod duplex feratur judicium in idipſum.

† Memorandum quod die Lunæ proxima poſt Octab. Purificationis B. *Mariæ*, Anno R. R. *Edw.* filii Regis *Edw.* XII°. viz. XII. die *Febr.* coram Magiſtro *Joanne* de *Everdon* Barone Scaccarii, *Auguſtino Le Waleys* Cuſtode Cambii *Londinenſis*, *Joanne* de *Cockermouth* Clerico Theſaurarii & aliis de Saccario præſentibus, aperta fuit quædam Pyxis, in qua

M

reperti ſunt LIX^{s}. IIII^{d}. capti de VII. CXX^{L}. de moneta monetata in Cambio infra libertatem de S. *Edmundo*, quibus denariis mixtis, & libris inde ponderatis, inventa eſt libra recti ponderis; & captis inde & ciſſis LXI. Den. factum eſt inde aſſayum per Regis Aſſayatorem, & concordat cum ſtandardo Regis *Londonii*, & moratur in Baga in quadam Pyxide.

Quæ Regiſtri Autor tradit de emptione argenti, & de allaii proportione, quam monetæ Magiſter laminis cudendis admiſcere tenebatur, licet obſcura ſint & imperfecta; hæc tamen de conſuetudinibus jam olim uſitatis colligi poſſunt.

Puriſſimum, quod à Mercatoribus deferebatur, argentum ejus pretii erat, ut pro metalli pondere monetæ Cuſtos idem Sterlingorum cuſorum pondus redderet, nihil plus pro Operariorum expenſis retinens, quam argenti pondus, cujus quantitas ſecundum Principis conſtitutiones eodem allaii pondere ſupplenda erat: quod ſi minus defæcatum eſſet argentum, Cuſtos ſecundum æſtimationem valoris duos, denarios, tres vel plures de qualibet libra in Fiſci uſum ſubtraxit, & pro argento delato idem Sterlingorum pondus exceptis his duobus, tribus vel quatuor denariis red-

† E Rotulis in rotunda Baga de Aſſaiis monetæ *Angliæ* in Scaccario D. Regis Anno XII. R. *Edw.* II. Term. *Hilarii.*

dere

dere pollicitus eſt, & hoc argentum per retentionem duorum, trium vel quatuor denariorum emptum dicebatur.

Poſito igitur, quod argentum delatum ſit argentum de *Gant*, quod ſæpius emitur per IIId. ad libram, Clericus irrotulabit hoc argentum in Rotulo emptionis hoc modo; "De tali Mercatore, die tali, menſe tali, C. libras per "IIId" deinde ſubtrahet Clericus de qualibet libra IIId. qui tres denarii de C. libris faciunt XXVs. & remanet Tallia IIcl. XVs. Tunc Clericus componet Mercatori argentum deferenti billam de prædicta Tallia in hunc modum "Cambium talis

xx

"loci debet tali Mercatori IIII. XVIIIl. XVs. ponderat. die ta-"li, menſe tali, & anno regni Regis *Edw.* &c." & hæc billa valebit Mercatori tanquam ſcriptum obligatorium: & è ponderibus, quibus argentum emitur, eiſdem reſtituitur Mercatoribus pecunia cuſa, extractione Talliæ excepta.

Deinde facta indentura inter Cuſtodem & Magiſtrum monetæ de argento ad monetandum liberato, & in eadem indentura intrato, liberet Cuſtos Magiſtro monetæ argentum, quod accipiens Magiſter accedat ad funditorium, & in ſuum periculum aſſeyet: & ſi ſit argentum de *Gant*, & emptum per retentionem trium denariorum, ponet Magiſter ad quamlibet libram, è qua III d. in Cambii uſum ſunt detracti, VIIId. ob. allaii de cupro, ita quod computatis prædictis tribus denariis prius in uſum Cambii detractis, & VIIId. ob. quorum quantitas eodem allaii de cupro pondere ſuppletur, reſtant XId. ob. in Fiſcum ex argento à Mercatore delato redacti, quos D. Rex percipit de qualibet libra empta per IIId. & monetata in Cambiis ſuis; de quibus ſolvit Magiſtro monetæ pro monetatione denariorum † vd. ob. & ſic remanet Regi de ſingulis Libris VId. de quibus ſolvit vadia Cuſtodi, Clerico, Campſori, Cuſtodi Cuneorum, & Oſtiario *.

---

† Hinc forte corrigendus eſt Regiſtri Autor cum pag. 133. dixerit, "de ſingulis "libris per ipſum monetatis Magiſter vd. tantummodo recipere debet." * Secundum uſum Cambii *Londinenſis* anno R. *Edw.* I. octavo de qualibet libra argenti

Sequitur in Regiſtro fol. 216. exſcriptum ex Rotulo emptionis ſecundum uſum Cambii *London.* per quod patet, quod argentum puriſſimum ad Cambium delatum per Talliam ejuſdem ponderis Sterlingorum emendum eſſet, minus purum autem variis pretiis, à retentione unius denarii argenti, ad retentionem ſex denariorum.

N. XI.

Hermannus Archidiaconus de ultione facta in *Arfaſtum* Epiſcopum *Eſtangliæ* per S. *Edmundum* tempore *Baldwini* tertii Abbatis, & ab ingreſſu Monachorum ibidem anno LI°. è Regiſtro Rubro B. fol. 38. pag. 2.

Quidam Epiſcopus *Eſtanglorum*, *Arfaſtus* nomine, propter cupiditatem poſſeſſionum apud Monaſterium S. *Edmundi* volebat ſedem ſuam Epiſcopalem conſtituere, quærens injuſtè potius præeſſe, quam ſecundum Deum, ut debuit, prodeſſe: contra quod Abbas *Baldwinus* pauca reſpondit, ſecurus de Regum privilegiis Sibi ac ſuis Prædeceſſoribus Succeſſoribuſque conceſſis: nec propter hoc quievit Epiſcopus, ſed Regis licentia Baculum quendam Epiſcopalem cujuſdam ſui Anteceſſoribus à Monaſterio rapuit, putans ſic per Baculum vendicare tanti loci participium. Orta igitur ex tali cauſa inter eos gravi contentione, *Baldwinus* Abbas conſilio & auxilio Regis *Willielmi* I. *Romam* profectus eſt, ubi à Papa *Alexandro* II. honorificè ſuſceptus in Vigilia Paſchæ Presbyter ordinatus eſt [Sequitur ſummula Bullæ Papalis hanc rem ſpectantis, quam in ſpicilegio ad *Eadmemerum Seldenus* edidit, & Altaris portatilis deſcriptio, quam, ut in hoc MS. occurrit, editam habes in *Baldwini* Vita pag. 47, 48.] Poſteà rediit Abbas domum privilegio munitus Apoſtolico ſecundum libertatem à Regibus S. *Edmundo* conceſſam. Sed Præſul magis exardeſcit, & conatur modis omnibus ibidem ſedem ſuam collocare. Et quia omnia *Romæ* ſint

---

genti puriſſimi (argenti ſc. per xxs. empti & vulgariter argentum de *Guernſane* dicti) detrahendi erant XVIIId. ob. qu. pro quo pondere argenti Magiſter idem allaii pondus admiſcere tenebatur.

venalia;

venalia; ad hoc eſt audax promota Præſulis lingua, promittens Regi centum marcas auri, ſi ſibi concederet placita communia enarrandi licentiam, neſcius Sancti vindictam pro foribus eſſe præſentem. Interea Præſul equitans in ſilva quadam die, dum de prædictis injuriosè cum ſuis ſermonem faceret, ramus impegit ejus in oculis, Sancti videlicet ultione, ponens eum in inopinatæ paſſionis angorem, verſis ambobus oculis in multiplicis ſanguinis ſuffuſionem. Viſi ſunt de intus oculi carnis putredine pleni, nec à quoquam viro valebat auxiliari. Jacet præſul verè cæcus, tantillumque refrigerii potitur, quin ſanguis purulentus ab oculis cum ſpica ordei detrahitur, unde verſus.

Arfaſtus *ſedem ſibi vult fore Martyris Ædem.*
Caßatur niſus: privatur lumine viſus.

Hæc dum viderem quodam mane ſuperveniens, tactus ejus miſeratione dixi ad eum: Domine Præſul, in vanum ſuper te laboratur: nullum quippe collirium tibi prodeſſe videtur: ſed gratiam Dei requiras devotè, ſimulque S. *Edmundum* qui in his Comitatibus patrocinatur; dirige citiſſimè ad *Baldwinum* Abbatem, ut tibi per preces ad Deum & S. *Edmundum* velit medicamentum ſanitatis impendere; cujus ipſe primò deſperat admonitionis conſilium propter injurias Abbati illatas; ſed mox conſilium datum proſequi jubet. Imponitur ergo ſuper me *Hermannum* talis legatio, quam & eadem die Feſto SS. Apoſtolorum *Symonis* & *Judæ* perfeci, memorato Abbate me ſui gratia luculenter ſuſcipiente, luculentius quoque coram teſtibus reſpondente, & luculentiſſimè poſtulata concedente: quibus benignè conceſſis, deſcendit ad Abbatiam Præſul debilis; cum omni ſuſceptus eſt apparatu decoris; fruitur Abbatis alloquio ſalutari, commonentis eum, ſi quid offenſionis erga Deum & S. *Edmundum* ſua parte ſit, ſe debere præmeditari quatenus peccatis primò leniatus, impenſura medicinæ celerius foret alleviandus. Annuit Præſul verbis boni conſili, & eo deducto in Eccleſiæ Veſtiarium, præſentibus ejuſdem loci ſenioribus Fratribus, & quibuſdam Regis Primoribus, *Hugone* de *Montfort*, *Rogero Bigot*, & *Ricardo* filio *Gilberti*

cum

cum aliis pluribus, in quorum audientia præfert Epiſcopus cauſam ſuæ neceſſitatis, memoratur injuriæ, quam erga locum ſanctum fecerit injuſtè vicibus multis; verbo, ſe dicit, & velle, in Deum & S. *Edmundum* peccâſſe, & ablationis Baculi paſtoralis ſuperius dicti reminiſcitur; pro quo *Thetfordiam* confeſtim mittitur; in omnibus ſe fatetur culpabilem; clamat in audientia locum eſſe quietum & liberalem; damnat ſub anathemate, quos conſiliarios habuerat inde, & voto ſe conſtringit tale quid à modo repudiare. Sic puplicè confeſſus cum fletibus & gemitu, ad Martyris altare progreditur; & ibi pro dictis offenſionibus Epiſcopalem ponit Baculum, ſcilicet duplicis cauſæ vadium; tum pro reddendo memorato Baculo pignoris certitudinem; tum Deum & Martyrem impetrans offenſæ remiſſionem. Ad Altaris crepidinem deinde proſternitur pſallendo ſeptem Pſalmos; ab Abbate cum Fratribus abſolvitur; tandem medicinam Abbatis expertus, &, ut vidi, cauteriationibus & colliriis uſus peropportunis, etiam Fratrum precibus apud Deum, & S. *Edmundum* adjutus, infra breve tempus ſoſpitati redditur, quadam tamen obſcuritate in medio pupillæ unius oculi pro ſigno remanente: Et hoc eſt, quod canitur in Feſto Tranſlationis *S.* Edmundi, *Ad ſedandum conſilium diſcordiæ conantis honorem alienum invadere* Edmundus *digna Sanctione Pontificem percuſſit cæcitate, ſed pœnitenti pœnæ partem donavit, partem pro audacia eidem ſervavit.* Deinde Præſul idem in die feſto S. *Edmundi* de recuperatione ſua verbum fecit ad populum; invitans eum ad ejuſdem Sancti devotionem: Deumque & S. Martyrem orationibus, delictique ſui confeſſione, cauſæ etiam ſuæ reſignatione placans, ad propria cum gaudio reverſus eſt.

Sed poſtea (quod ſibi pejus erat) omnem promiſſionem ſuam fregit, reſtitutus enim pro magna parte ſanitati, calumpniam ſuam renovat; & iterum clamat Abbatiam S. *Edmundi*; igitur A. D. MLXXXI. ventilatur hæc atteſtatio ex præcepto Regis apud *Wintoniam*, præſentibus Archiepiſcopis, Epiſcopis Abbatibus, Comitibus, & multis aliis regni Nobilibus, ubi Præſul ſuum facundè fecit clamorem; ſed

ſcriptis

ſcriptis & teſtimoniis omnimodo vacuum. Abbas vero è contra; quomodo *Canutus* Rex cum conſilio Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Optimatum ſuorum Monachos in eadem villa poſuerit, mediante & auxiliante *Aylwino* Præſule tunc Diœceſano, qui quidem Præſul ob devotionem, quam erga S. *Edmundum* habuerat, totum jus ſuum ac juriſdictionem & Epiſcopalia Sacramenta intra idem Monaſterium & oppidum & in circuitu ejus præfato Monaſterio conceſſit, nec ad illorum ingreſſionis officia, nec ad Benedictionem Abbatis intereſſe voluit; & quod primus Abbas loci ab Epiſcopo *Londinenſi*, ſecundus ab Epiſcopo *Wintonienſi*, & ipſe *Baldwinus* tertius Abbas ab Archiepiſcopo *Cantuarienſi* fuerit confirmatus: & quod per LII. annos ſine alicujus Epiſcopi jam dicti *Arfaſti* Prædeceſſoris contradictione, Monachi prædicti loci, à quibus voluerunt Epiſcopis ordines ſuſceperunt, ex ordine luculenter enarravit; oſtendit denique præcepta *Canuti* Regis, atque glorioſiſſimi Regis *Edwardi*, quibus ab omni dominatione omnium Epiſcoporum *Eſtangliæ* funditus ſæpe dictam Eccleſiam liberam eſſe perpetualiter ipſi Reges conceſſerunt. Quod *Cantuarienſis* Archiepiſcopus *Lanfrancus*, & *Thomas Eboracenſis* Archiepiſcopus, & alii Epiſcopi, cæterique Principes regni, qui aderant, audientes cenſuerunt tanti loci tantam autoritatem inviolatam uſque in finem ſeculi debere permanere. Quorum judicio pariter & conſilio placuit prædicto Regi *Willielmo* roborare præcepto, ut ab *Arfaſti* Epiſcopi, omniumque ſibi per tempora ſuccedentium Epiſcoporum ſubjectione, ipſa Eccleſia, & villa, in qua ſita eſt eadem Eccleſia, ſit in perpetuum libera; & ut hæc autoritas ſuis & futuris temporibus circa ipſum Sanctum locum, perhenniter firma & inviolata permaneat, hanc Charta ſua decrevit roborare & impreſſione ſigilli ſui firmare.

N. XII.

Teſtimonium Sententiæ latæ contra *Arfaſtum* Epiſcopum. E Regiſtro Sacriſtæ fol. 24.

Willielmus Rex *Anglorum* Fidelibus ſuis Salutem. Sciatis quod de calumpnia & querimonia quam *Arphaſtus* Epiſcopus faciebat *Baldwino* Abbati, viz. de Eccleſia S. *Edmundi*, & de Villa, in qua eadem Eccleſia ſita eſt, meo præcepto coram me Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Comites, aliique mei Proceres judicium inter Epiſcopum & Abbatem tenuerunt, & juſtè judicaverunt, & aſſenſerunt unanimiter, quod *Arphaſtus* Epiſcopus prædictam Eccleſiam & Villam injuſtè requirebat, & Abbas ea juſtè habere debebat, & quod *Arphaſtus* Epiſcopus neque Succeſſores ejus, de præfata Eccleſia & Villa nihil exclamare debeant, quod ſic ſtare, & firmiter inviolatum manere præcipio.

Idem Rex *W.* I. Abbatiæ exemptionem ab Epiſcoporum juriſdictione, & Regum Chartas prius conceſſas Charta ſecunda plenius confirmavit, quæ in Monaſtico edita eſt.

N. XIII.

Tractatus de iis, qui in Eccleſia ſepulti ſunt, inter deſiderata cenſendus eſt; de S.S. autem *Botulpho* & *Firmino* hæc traduntur.

S. *Firminus*, ſive *Jurminus* unà cum S. *Botulpho* & *Edwoldo* in [1] Litaniis pro defunctis invocatur. [2] Erat autem Sanctus ille *Jurminus* S. *Etheldridæ* frater; ita enim [3] *W. Malmsburienſis*; "Jacent in Eccleſia duo Sancti *Jurminus* "& *Botulfus*, quorum geſta nec ibi, nec alibi haberi me- "mini, niſi quod primus frater S. *Etheldrithæ*, ſecundus E-

---

1 In Officio pro defunctis MS. penes Autorem. 2 MS. *J. Craddock.* 3 Pag. 137.

piſcopus

"piſcopus fuiſſe aſſeritur." [4] *Thomas Elienſis* etiam in Vita *Etheldrithæ* ita ſcribit "apud *Bledburch* ſepultus eſt filius "*Annæ* Deo acceptus *Furminus*, ſed apud *Bedricheſworthe*, "quod nunc S. *Edmundi* appellant, poſtea tranſlatus eſt, & "honorificè collocatus."

N. XIV.

E Monaſtico Vol. 1. pag. 300.

Anſelmo Abbatiæ præſidente *Radulphus* & *Hervæus* Sacriſtæ murorum ambitum circa atrium Eccleſiæ fecerunt, ut & Eccleſiam B. *Mariæ* cum Turri ſua, & Clocarium, & deintus Cymbala bene ſonantia; & Turrim S. *Jacobi*, Valvas etiam duplices in fronte Eccleſiæ inſculptas digitis Magiſtri Hugonis. Murorum item ambitum circa Villam S. *Edmundi* [fecit † *Hervæus*] qui, cum in aliis operibus omnes alios vicerit, in hoc opere mirificè vicit ſeipſum, quia libere-tenentes de honore S. *Edmundi* ad *Hervæi* comparationem in murorum ædificatione quaſi rivuli fuerunt, ipſe fons fuit. Redditus quos ex antiquo jure Sacriſta habuit in villa S. *Edmundi Hervæus* comparavit, & terram *Thomæ Noel* de *Hawſted*. Iſte *Hervæus* frater *Taleboti* Prioris omnes expenſas invenit fratri ſuo Priori in ſcribendo magnam Bibliothecam, & manu Magiſtri *Hugonis* incomparabiliter fecit depingi; qui, cum non inveniret in partibus noſtris pelles vitulinas, in *Scotiæ* partibus parchamentum comparavit. Pitantias etiam, quas habemus annuas in anniverſariis eorum, ipſe inſtituit, & pretio dato redditus comparavit.

---

1 In Actis Benedict. † *Hervæus* hic Sacriſta idem videtur, quem pag. 116. *Camdenus* landans Abbatem fuiſſe tradidit.

N. XVI.

E Regiſtro Nigro fol. 99. & Reg. Sacriſtæ fol. 25. pag. 2.

Stephanus Rex *Anglorum* Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Juſticiariis, Vicecomitibus, Miniſtris, & omnibus Fidelibus ſuis *Francis* & *Anglis* totius *Angliæ*, Salutem. Sciatis me dediſſe & conceſſiſſe *Ordingo* Abbati S. *Eadmundi* Abbatiam S. *Eadmundi*; quare volo, & firmiter præcipio, quod bene, & in pace, & quietè, & honorificè teneat & poſſideat, ſicut *Baldwinus* Abbas, vel aliquis Abbas poſt eum melius, & quietius, & liberius, & honorificentius eam tenuit, in boſco & plano, in pratis & paſturis, & in Eccleſiis, in Burgo & extra, in aqua & extra, in molendinis & ſtangnis, in vivariis, & piſcariis, & turbariis, & mariſcis, in via & ſemitis & omnibus locis, & univerſis redditibus, cum *Soka*, & *Saka*, & *Thol*, & *Theam*, & *Infangenetheof*, & *Flemdetheof*, & *Grihtbrece*, & *Fichtwite*, & *Ferdwite*, & *Foreſtal*, & *Hamſocna*, & *Borrham*, & *Heberetheof*, & *Warpeni*, & *Averpeni* †, & cum omnibus conſuetudinibus & quietationibus, & liberationibus ſuis, ſicut Rex *Eadwardus* ea omnia S. *Eadmundo* dedit, & Rex *Willielmus* avus meus, & poſtea Reges *Will.* & *Henricus* avunculi mei conceſſerunt, & per Chartam ſuam confirmaverunt: & prohibeo, ne aliquis de his omnibus quicquam præſumat capere, vel minuere, vel moleſtare, niſi per S. *Eadmundum* & Abbatem ſuum *Ordingum*. Teſte *Theobaldo* Archiepiſcopo &c.

† Conſuetudines hæ *Saxonicæ* plenius recenſentur in Charta *Henrici* II. de octo Hundredis & dimidio, quæ in Regiſtro de *Bury* in Officio Ducatûs *Lancaſtriæ* apud Hoſpitium *Grayenſe* comprehenditur; & in Reg. Sacriſtæ Fol. 26, 27.

N. XVII.

N. XVII.

E Regiſtro Nigro fol 56, 57.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio *Helyæ* Sacriſtæ Monaſterii S. *Eadmundi* Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Quæ ad honorem & utilitatem alicujus Eccleſiæ Rectoris ſui proviſione rationabiliter ſtatuuntur in ſua debent firmitate perſiſtere, ac ne proceſſu temporis aliqua præſumptione turbentur, auctoritate noſtræ paginæ communiri. Dilecto filio noſtro *Ordingo* Abbate tuo per ſua ſcripta nobis indicante accepimus, quoniam Burgum totum in quo antedicta Eccleſia ſita eſt, & redditus, qui inde proveniunt, ſervitio Altaris ejuſdem Eccleſiæ ac Sacriſtæ miniſterio deputantur, ut ea, quæ ad idem officium pertinent exinde honore debito peragantur: quoniam igitur hoc aſſertione ſcripti noſtri petiit confirmari, & nos quod in aliqua Eccleſiarum ad decorem ejus, & honorem Dei ſtatutum fuerit inconcuſſam obtinere volumus firmitatem, id auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmamus, & futuris temporibus ratum & inconcuſſum permanere ſancimus: nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtram confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attemptare præſumpſerit, & ſecundò tertiove commonitus temeritatem ſuam ſatisfactione condigna non correxerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum *Laterani* IV. Id. *Martii*.

N. XVIII.

Quomodo Moniales S. *Gregorii* de *Thetford* ingreſſum habuerunt in *Thetford*. E Regiſtro Rubro B. folio 20.

Hugo Dei gratia Abbas Eccleſiæ S. *Edmundi*, & totus ejuſdem loci Conventus omnibus S. Matris Eccleſiæ Filiis Salu-

Salutem. Scimus, quia inter actus humanos nihil ita laudabile, nihil ita ſtabile invenitur, quod non facile excidat ex hominum memoria, niſi ſcripto memoriali teneatur: facit hoc nimirum rerum geſtarum mutabilitas, ſed & temporum diuturnitas, & humanæ vitæ brevitas; hinc inſtigante pacis perturbatore, & diſcordiæ ſeminatore Diabolo ſæpe filii poſt patres ſuſcitandæ litis ſumunt occaſionem, & quod à ſenioribus juſtè & religiosè actum eſt, juniores in irritum revocare non trepidant; ibi maximè, ubi rei geſtæ veritas neque viva voce teſtium claret approbata, neque ſcripti teſtimonio. ſtat corroborata: ſimile aliquid ſuper introductione Sanctimonalium de *Linges* in Monaſterium S. *Georgii* de *Thefford* in poſterum evenire poſſe non dubitantes, ſed ne eveniat præcavere volentes, rationem & ordinem introitus earum in ipſum Monaſterium ſcripto noſtro perpetuæ memoriæ mandare curavimus; ut ſi qui forte in proceſſu temporis litem adverſus eas ſuſcitare, & quaſi minus canonicum habuerint ingreſſum, eas in cauſam trahere attemptarint, ſit hoc monumentum, quo veritatis certitudo teneatur; ſit etiam munimentum, quo ſe innocentium innocentia tueatur; & inſtrumentum, quo iniqua inſurgentium malignitas repellatur.

Cum Canonici, qui multis annis ipſum Monaſterium S. *Georgii* tenuerunt, unus poſt unum fere omnes ceſſiſſent in fata, & ſuper hoc bona Eccleſiæ in eorum temporibus ita eſſent diſſipata & dilapidata, & quaſi ad nihilum redacta, ut tum pro raro habitatore, tum pro tenui poſſeſſione, magis videretur domus deſerta, quam à viris religioſis frequentata, duo quos ſolos ex multis in ipſo Monaſterio mors adhuc ſuperſtites reliquerat, *Folcardus* viz. & *Andreas*, intolerabili tandem paupertatis anguſtia conſtricti, ad nos uſque venerunt, & gravem, qua angebantur, inediam lamentabiliter expoſuerunt; & adjecerunt, quia locum ipſum ultra inhabitare neque volebant, neque valebant, eò quod ſicut cenſûs, ſic & ſenſûs inopes ſe ſentirent; nobis autem huic eorum propoſito, quantum potuimus, renitentibus, & ut ſtarent, prout ſcivimus, exhortantibus: providebamus enim

nim ſcandalum, quod inde naſci poterat, ſi locus ille, tam longo tempore haud intermiſsè à religioſis inhabitatus, in diebus noſtris ex toto à religione deſtitueretur; illi è contra non ſolum in incepto acrius perſtabant, ſed hoc in petitione ſua addebant, ut eis cedentibus Sanctimoniales quaſdam fœminas, quæ tunc apud *Linges* in *Norfolk.* manebant in loco ſuo admitteremus; quatenus illis ibidem religioſam vitam actitantibus, & poſſeſſiunculas quas ſparſim aliis pleriſque in locis habebant, illuc ſimul comportantibus, eo modo poſſet domus & à paupertate relevari, & ad religionis normam revocari. Nos autem loci emendationem multùm deſiderabamus, ſed Fœminas tamen illas, pro quibus rogabant, in locum tam ſubitò ſuſcipere detractabamus; multùm quidem quia *Fœminæ*; eò quod huic ſexui locus ille minus fuerat aſſuetus; maximè tamen quia de vita & moribus earundem nihil certum haberemus: ſed quantò eramus ad aſſenſum tardiores, tantò eos in rogando ſenſimus moleſtiores, cumque ad extremum minus per ſe proficere ſe cernerent, quæſierunt ſibi & adquiſierunt adjutores viros magni nominis, & nobis amiciſſimos, quorum mediante interventu obtinerent, quod per ſeipſos nequiverant; interceſſit pro eis Vir venerandæ memoriæ, & ſanctitatis memorandæ *Willielmus* tunc *Norvic.* Epiſcopus, qui præfatarum Sanctimonialium vitam & converſationem uſque adeo nobis commendabat, ut non ſolum rogare pro eis, ſed etiam conſulere nobis ſecurè auderet, quatenus eas in loco Canonicorum admitteremus; noverat enim eas quaſi diſcipulas ſuas, quæ & de manu ſua religionis habitum ſuſceperant, & à ſuſcepto in Parochia ſua, ſicut teſtabatur ipſe, religioſè victitaverant: interceſſerant quoque pro eis *Gaufridus* tunc Archidiaconus *Cantuar.* & Sigillarius Regis: & *Willielmus* de *Cam.* tunc Vicecomes *Norfol.* atque *Suffol.* qui etiam Sanctimonialibus ipſis omnis honeſtatis teſtimonium perhibebat, quaſi illis, quas & ſub habitu religionis, & antequam illam ſuſciperent, noverat, ut aſſeruit, abſque omni nota diſſolutionis in terra ſua converſatas, & de eleemoſinis ſuis ſuſtentatas: erant & alii multi, quos longum eſſet

ſet in charta ſignare ; licet igitur multùm reluctati eſſemus, eò tamen ad ultimum res devoluta eſt, ut hinc Canonicorum ipſorum inſtanti protervitate vexati, hinc tot & tantorum pro eis interceſſorum auctoritate devicti, cederemus. Præfiximus itaque diem quo ſimul in Cameram noſtram venirent Canonici & Sanctimoniales, illi viz. ut cederent, iſtæ ut ſuccederent ; veniente die venit pars utraque, & ne ordine incongruo res ageretur, imprimis, nobis omnibus præſentibus, Canonici Monaſterium S. *Georgii* de *Theſford* cum omnibus mobilibus, quæ eo die erant Monaſterii, & quæcunque cum ipſo Monaſterio tenuerant ipſi, ſive Anteceſſores ſui, in pratis, in paſcuis, in terris arabilibus, & in redditibus in Burgo ſive extra Burgum, & quicquid juris in omnibus habuerant, vel habere ſe debere æſtimaverant, omnia in manus noſtras ſponte reſignaverunt & tactis ſacroſanctis Evangeliis in perpetuum abjuraverunt, ita ut ab illo die in poſterum nihil ſibi juris in his vendicarent ; neque per ſe, neque per aliam perſonam, ſive contra nos, ſive contra Sanctimoniales, quæ illis erant in Monaſterium ſucceſſuræ, litem ſuſcitarent : hoc facto, ibidem continuo ipſis Canonicis aſtantibus, & non ſolum non reclamantibus, ſed, ut ita fieret, affectuoſiſſimè deprecantibus, ipſum Monaſterium, ſicut id jam vacabat, ſæpe dictis Sanctimonialibus, in manu *Ceciliæ* Prioriſſæ earum, & ſibi in eodem loco ſucceſſuris, perpetuò inhabitandum conceſſimus, & quæcunque eodem die ad Monaſterium quocunque in loco pertinuerunt, vel pertinere debuerunt, omnia ſimul cum ipſo Monaſterio eis in liberam & perpetuam eleemoſinam conceſſimus : præter hæc autem conceſſimus etiam eis duas Eccleſias parochiales, quas habuimus in villa de *Thefford*, unam viz. S. *Benedicti*, & alteram omnium Sanctorum, cum omnibus pertinentiis earum, & quicquid juris Eccleſia noſtra habuit, vel habere debuit in campo quam appellant *Favertunefelde*, & quicquid eodem die ad Eccleſiam pertinebat, in territorio de *Thefford*, in Burgo & extra Burgum, in tuftis, in domibus, in paſcuis, & in terris arabilibus, & in omnibus rebus, ad tenendum de Eccleſia

cleſia noſtra perpetualiter ſub annuo canone IV. ſolidorum ſolvendorum ad duos terminos in anno, *Paſcha* viz. & Feſtum S. *Michaelis*, Illi, de Fratribus noſtris, cui cura & cuſtodia Fratrum infirmorum erit commiſſa: accepimus itaque cautionem juratoriam à ſupra nominata *Cecilia*, quod ipſa jam dictum canonem ſine dolo, & ſine fraude nobis fideliter perſolveret, neque opere, neque conſilio, ſive per ſe, ſive per aliam perſonam machinaretur, quo à jure quod noſtræ Eccleſiæ eſſe debet, in his, quæ ſibi & Conſororibus ſuis ſub hoc canone tenenda conceſſimus, ſeu in vita ſua, ſeu poſt deceſſum ſuum fraudaremur: & quia ſæpe memoratum Monaſterium S. *Georgii* uſque ad illum diem membrum Eccleſiæ noſtræ fuiſſe conſtabat, ne forte videremur in hoc facto membrum à corpore abſcidiſſe, hoc etiam juramento eam ſignanter adjicere fecimus, *quod fidelis & obediens noſtræ Eccleſiæ, quaſi matrici Eccleſiæ ſuæ exiſteret; ſalvo jure & honore Monaſterii, & ſalva obedientia Epiſcopo* Norvic. *quaſi patri Spirituali debita*; in cujus parochia illud fundatum eſſe conſtabat. Hujus rei teſtes ſunt *Hugo* tunc Prior Eccleſiæ noſtræ &c.

N. XIX.

Samſonem Abbatem *Norfolcienſem* fuiſſe id palam indicat, quod, cum de eo in Abbatem eligendo ageretur in Capitulo, quidam Monachus exclamaret (ut ex Chron. *Jocelini* de *Brakelond* conſtat) à bonis clericis libera nos, Domine, & à baratoribus de *Northfolke* nos conſervare digneris, te rogamus, audi nos.

N. XXI.

E Monaſtico Vol. I. pag. 198.

Hugo Sacriſta, qui *Willielmo Wardell* ſucceſſit Turrim magnam verſus Occidentem tecto appoſito & plumbato conſummavit, D. *Samſone* laquearia, & tigna, & quicquid ibidem ligneum eſt, impendente; Turrim etiam juxta Ca-

pellam S. *Fidis* plenè quoad opus lapideum consummavit, in alia Turre juxta Capellam S. *Catharinæ* una istoria consummata; Infirmarium novum temporibus *Willielmi* Sacristæ procurante Magistro *S.* & Capellam S. *Andreæ* pro majori parte ædificavit, & consummavit prædictus *Hugo*, D. Abbate *Samsone* de boscis suis tigna, & quicquid ibidem ligneum est, ministrante; Pulpitum in Ecclesia ædificavit magna cruce erecta, & imaginibus B. *Mar.* & S. *Joan.* * * * * * Sedem Abbatis in Choro, manu *Simonis* pictoris ad hoc desudante, reddidit conspicuam; Capas brusslatas, quamlibet ad valentiam LX. marcarum; & calicem aureum V. marcarum pondere. Idem Sacrista Aulam hospitum, & Balneatorium plenariè perfecit, D. Abbate *S.* affluenter largiente de boscis suis quæ necessaria erant ad prædictarum domorum contignationem, in actis tamen suis prædictus Sacrista de receptis & expensis neminem voluit habere conscium, cum D. Abbas in plero Capitulo id præcepisset, sed solus quæ agenda erant fideliter & feliciter consummavit.

Ejus Successor *Walterus* de *Banham*, qui primò *Henrico* I. Eleemosynarius fuit, Aula D. Abbatis antiqua diruta novam consummavit. Aquæductum à capite & fonte distantem duobus milliaribus plumbo inclusit, & usque ad Claustrum per occultos terræ meatus derivavit. Lavatorium morte præventus non consummavit, sed tamen quicquid ibi videmus in marmore, aut imaginibus, aut opere cementario factum, totum fecit; quia in vita sua expensas omnimodas erogavit; centum marcas de plata & eo amplius, & duas marcas auri ad tabulam faciendam devotè contulit. Tabulam magnam super Altare in Choro, cum mole illa lapidea cui trabes innituntur, consummavit, magno Candelabro deaurato & laminis aureis innovato, decies XX. tignis in Cœmeterio relictis, quæ dictus D. Abbas *Samson* contulit viz. quater XX. de Bosco de *Werlingworth*, & sexies XX. de Boscis de *Meleford*, ad innovationem Ecclesiæ satis accomodis.

Robertus de *Gravele* locum Vineæ emit, & muro lapideo inclusit ad solatium infirmorum, & amicorum: Navem Ecclesiæ

cleſiæ de novo contignavit, & celeuram ultra S. *Edm.* fecit, & picturæ varietate decoravit.

N. XXII.

E Regiſtro Nigro fol. 199.

Samſon Dei gratia Abbas S. *Edm.* omnibus Baronibus & Hominibus de honore S. *Edm.* *Francis* & *Anglis* omnibuſque Succeſſoribus ſuis, Salutem. Notum vobis facimus, quod hæ conſuetudines ſint, quas Burgenſes S. *Edm.* dirationaverunt in Curia S. *Edm.* coram Prædeceſſoribus meis, ut à Chartis eorum accepi, ſe habuiſſe tempore *Edwardi* Regis, & temporibus *Willielmi* Regis, & filiorum ejus *Willielmi* & *Henrici*, & temporibus *Baldwini* Abbatis, & ceterorum Abbatum, & quas ego eis conceſſu Conventûs conceſſi, & confirmavi. Eſt ergo Conſuetudo illorum invenire VIII. homines per annum de IV. Cuſtodiis per ſingulas noctes ad Villam cuſtodiendam; & in Feſto S. *Edmundi* XVI. homines ad IV. Portas cuſtodiendas, ſc. duos homines ad quamlibet Portam in die, & totidem in nocte; & ſimiliter per XII. dies Natalis Domini; invenient etiam IV. Janitores per annum ad IV. Portas; quinta autem Porta (viz. Orientalis Porta) eſt in manu Abbatis; ſi autem opus fuerit, Sacriſta inveniet materiem Portarum, & Burgenſes parabunt eas: quod ſi Foſſatum quo Villa circundatur reparari debeat, ſi Milites de Abbatia & liberi Socmanni ibi operentur, tunc Burgenſes ibi operabuntur, ſicut Milites ſive Socmanni, quod illud opus non pertinet magis ad Burgenſes quam ad Milites. Quicunque habet in Villa S. *Edm.* Manſuras de Burgali terra, pro ſingulis Manſuris dabit per annum duos Ferthingos, unum ad *Pentecoſten* & unum ad Feſtum S. *Martini*. Præterea non debent ire extra Villam S. *Edm.* ad Hundredum, nec ad Comitatum, neque ad ullum placitum ut implacitentur, niſi ad ſuum *Portmannemot*. Si quis Burgenſium habet terram in Villa S. *Edm.* vel ſi emerit eam, vel alio modo adquiſierit legaliter in Villa vel in Foro, & illam tenuerit uno anno & uno die ſine calumpnia, & hoc poſſit diratio-

nare per teſtimonium Burgenſium, poſt non reſpondebit inde alicui calumpniatori ex diverſo venienti: hanc autem neceſſitate cogente (ſi non habet filium, vel proximum vel parentem, qui voluerit & poterit ei dare tantum pro ea, quantum aliquis alius) vendet cui voluerit infra feodam S. *Edm.* ſine omni licentia Præpoſiti, Uxoris, Filiorum & Parentum. Si quis accomodaverit ſuam pecuniam alicui extra vel infra Villam, & non poterit eam habere ad terminum ſtatutum, & hoc fuerit recognitum in ipſa Villa, accipiet pro illa namam; ſi autem inde vadimonium habuit, & hoc tenuerit per integrum annum & unum diem, & debitor illud deguajare, ſive deliberare noluerit, & hoc fuerit recognitum, vendet vadimonium coram bonis teſtibus pro quanto poterit, & inde ſuam pecuniam capiet, ſi quid autem ſuperfuerit, reddet illi; ſi vero inde totam ſuam pecuniam habere non poterit, iterum namam capiet pro eo, quod ſibi deeſt. Si quis adquiſierit terram in eadem Villa, quæ fuiſſet de Burgali conſuetudine, quicunque ille ſit, faciet conſuetudinem, quam illa terra facere conſuevit.

Quapropter volo, & hac mea Charta confirmo, quod ipſi bene, & honorificè debeant omnes prædictas conſuetudines, & omnes libertates, quas habuerunt in temporibus *Henrici* Regis, & Prædeceſſorum ſuorum. Hujus meæ confirmationis & conceſſionis hi ſunt teſtes, *Robertus* Prior, & multi alii.

N. XXIII.

E Reg. *W. Pinchbeck* fol. 116. p. 2.

A. D. MCCC. Regiſtri hujus (ut videtur) Autor juſſu *Joannis* de *Nornold* Abbatis, feoda & ſervitia militaria tenentium de honore S. *Edmundi* in ſimul collegit, & in ſex partes digeſſit, 1°. oſtendens nomina tenentium eadem feoda 2do. feoda & numerum feodorum, 3^io^. *Wardam* ad Caſtrum *Norwicenſ.* & cætera ſervitia ibidem debita, 4to. Fines inde levatos in Curiis Regis. 5to. extentas ſpeciales; aut generaliter per ſeoffamenta Abbatis *Baldwini*, aut per ſibrum deſcriptionis Regni *Angliæ*. 6to. Fines eorundem tenentium

nentium factos coram Abbate *Simone* de *Luton* tempore primæ guerræ *Walliæ*. Poſt fines autem factos cum *Simone* Abbate notula, quam Autor pag. 89. citat, traditur ſub his verbis fol. 123. p. 2. De Serjanciis S. *Edmundi*, quæ reſpiciunt D. Regem & ſuum exercitum, quo tempore D. Abbas perſonaliter ſuum facit ſervitium nondum plenè ſcire potui veritatem; plures tamen ſunt Serjanciæ tales infra S. *Edm.* & ſpecialiter in Hundred. de *Blackburn*, quarum tenentes debent in comitiva Abbatis in exercitu Regis quærere & deferre victualia eidem Abbati & ſuis, & cariare; quidam eorum per carrectas, & quidam per equos, ſaccos & brochos, & quidam eorum ad tergum. — Et notandum quod D. *Hugo* de *Norwold* Abbas, poſtea Ep. *Elienſ.* qui fecit perſonaliter ſuum ſervitium ad obſidionem Caſtri de † *Berford*, fuit plenè ſeiſitus ibidem de omnibus hujus ſervitiis anno R. *Hen.* III. octavo.

In Margine ab eadem manu additur; Iſtæ Serjanciæ ſunt quaſi feoda militaria, unde mulieres dotantur de tertia parte terrarum, & D. Abbas *Wardam* habet.

N. XXIV.

Ne Gratia Regi facta in obſidione Caſtri de *Bedeford* trahatur ad conſuetudinem vel debitum. E Reg. Sacriſtæ fol. 33.

Henricus III. Dei gratia &c. Omnibus ad quos præſentes Literæ pervenerint, Salutem. Cum propter graves & manifeſtos exceſſus *Fak.* de *Breaute*, quibus nos & regnum noſtrum multiplicer perturbavit, de conſilio fidelium noſtrorum Caſtrum de *Bedeford* obſidemus, venerabilis Pater *Stephanus Cantuar.* Archiepiſcopus, & Suffraganei ſui, qui nobiſcum gratis venerint ad exercitum, aliique Prælati Provinc. *Cantuar.* qui de mera gratia & libertate ſua auxilium providerint nobis faciendum ad tantos exceſſus fortius & facilius corrigendos, ordinantes per ſeipſos ſinguli dictorum Archiepiſcopi, Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum, qui

† Ita in MS. ſed legendum videtur *Bedeford*, ut infra.

ſepa-

ſeparatas habent portiones à Conventibus ſuis, ut de ſingulis carucatis terrarum, quas tenent in dominio, daretur nobis dimidia marca; & de carucatis militum & libere-tenentium & ruſticorum prædictorum Archiepiſcopi, & Suffraganeorum, & aliorum Prælatorum memoratorum, & de carucatis ſimiliter eorum, qui tenent de militibus, & libere-tenentibus ipſorum, duo nobis ſolidi conferrentur; de carucatis autēm Abbatum, Priorum, & aliorum Prælatorum, qui non ſeparatas portiones à Conventibus ſuis, & militum, & libere-tenentium & ruſticorum ſuorum, & ſimiliter de carucatis eorum qui tenent de dictis militibus & libere-tenentibus darentur nobis duo ſolidi. Præterea de ſola gratia & mera liberalitate ſua conceſſerunt, quod homines de dominiis, & feodis ſuis venirent in exercitum, ad negotia, quantum in eis eſſet, expedienda, quæ ad expugnandum Caſtrum neceſſaria viderentur: qui quidem per Ballivos noſtros alicubi infra libertates Eccleſiæ, & ipſorum Prælatorum, aliter quam hactenus fieri conſuevit, ſummoniti fuerint & compulſi (ut accepimus) ad hoc faciendum; nos igitur nolentes occaſione gratiæ & libertatis nobis, ut diximus impenſæ, Eccleſiæ Dei, vel Archiepiſcopo, vel aliis Prælatis prædictis, vel Succeſſoribus ſuis, terris feodis vel hominibus eorum præjudicium libertatis ſuæ, vel gravamen aliquod unquam generari, vel gratiam ſic nobis exhibitam ad debitum, vel conſuetudinem poſſe retorqueri, omnia præmiſſa per has Literas noſtras patentes proteſtamur ex ſola gratia & libertate proceſſiſſe, & hoc nunquam occaſione prædicta in conſuetudinem trahi poſſe, vel debere: & in hujus rei teſtimonium has Literas noſtras inde fieri fecimus patentes, & Sigillo noſtro ſignari. Teſte meipſo apud *Bedeford Aug.* XVIII. A. R. VIII: præſentibus *H.* de Burgo Juſtic. *W.* Com. *Sarum. W.* Com. *War. G.* Com. *Glouc.* & *Hertford. W.* de *Maundevill.* Com. *Eſſex.* Com. *H.* Le *Bigot.* Com. *Hereford.* Com. *Warewick.* Conſtablar. *Ceſtr. W. Brivere. P.* fil. *Hereberti. W.* de *Albinac. Thoma* de *Muleton. J.* de *Monem. Robto.* de *Curtenay. Joh.* fil. *Robti. Richardo* de *Munfichet. P.* de *Bruſ. Richardo* de *Percey. W.* de *Roſs*, & aliis. N. XXV.

N. XXV. pag. 97.

Ex Originali in Archivis *Lambeth.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Dilecto filio Abbati S. *Albani Lincolnienſis* Dioeceſeos, Salutem. Paci & tranquillitati dilectorum filiorum Abbatis & Conventûs Monaſterii S. *Edmundi* in *Anglia*, ordinis S. *Benedicti*, ad *Romanam* Eccleſiam nullo medio pertinentis, volentes ſollicitudine providere, ut aliquem Viſitatorem Monaſterium eorum viſitare volentem, ſeu Epiſcopum, vel Archiepiſcopum, aut quemlibet alium, niſi ſpecialiter deputatum Viſitatorem à nobis, vel præſidentes Capitulo generali, recipere minimè teneantur, eis auctoritate Apoſtolica duximus indulgendum: quocirca Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus memoratos Abbatem & Conventum non permittas ſuper his, contra conceſſionis noſtræ tenorem, indebitè moleſtari; moleſtatores hujuſmodi per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, Dat. *Lugd.* v. Kal. *Apr.* pontificatûs noſtri anno VIII.

N. XXVI. pag. 113.

E Regiſtro *W. Pinchbeck.*

A. D. MCCLXIV. *Hen.* tertii XLVIII°. quidam juniores & minus diſcretiores Villæ S. *Edmundi* quandam conſpirationem ſuſcitârunt, quam Gildam ſub colore appellari fecerunt, cum quodam cornu erecto communi, cui intendere unanimiter præſumpſerunt, cornu ſpreto totius communitatis antiquo, & à tempore de quo non extat memoria prius auctorizato; & diverſas injurias attemptârunt contra D. *Simonem* Abbatem, necnon contra quoſdam Villæ, in præjudicium non modicum Monaſterii S. *Edm.* & Villatæ ejuſdem; propter quod plures diſſentiones inter præfatum D. Abbatem Conventum & ſuos, & Villatam memoratam ſæpius ſuſcitabantur; & præcipuè pro eo, quod iidem juniores unà cum ſuis complicibus eidem Abbati ad Portam Aquilonis vi & armis clauſa janua reſiſtentes, nec non inſultum

tum aliquando facientes in Portas Abbatiæ S. *Edm.* injurias & violentias ſæpius commiſerint: unde præfatus D. Abbas habito conſilio cum D. Rege & ſuis Conſiliariis, Breve impetravit de inquirendo in hujuſmodi tranſgreſſiones &c. Majores vero & diſcretiores prædictæ Villæ, attendentes quod per talem actionem eis poſſet generari periculum de libertatibus ſuis à præfato Abbate & Conventu longo tempore obtentis & uſitatis; per nobiles viros eidem Abbati ſupplicârunt, quod ab hujus proſecutione deſiſteret; ita viz. ut conſtituat ſibi Judices, quos ſibi placuerit, niſi ipſemet intromittere voluerit, & in Foro laicali, ſive eccleſiaſtico inquiratur de omnimodis injuriis à *Paſch.* uſque ad talem diem Abbati & Conventui factis, & quicunque invenietur culpabilis ſatisfaciet competenter, & qui noluerit ſatisfacere diſtringatur &c. inſuper prædictam Gildam omnino adnihilabant præfati diſcretiores & majores, ita quod ſi quis eam de cætero teneat, extra communitatem ejuſdem Villæ penitus ejiciatur; irreverſurus niſi condignam pro meritis Abbati & Conventui fecerit ſatisfactionem. Hinc ſecuta eſt concordia talis; Quod cum Burgenſes Portam Aquilonalem contra Abbatem, Portam Auſtralem contra Sacriſtam & Cellerarium clauſas tenuiſſent, inſultum ad magnam Portam Monachorum feciſſent, Portam Cœmeterii fregiſſent, homines Monachorum uſque ad Altare proſecuti eſſent, & Gildam novam levâſſent &c. iidem Gildam illam dampnarent, & pro aliis gravaminibus Abbati illatis uſque ad F. *Paſchæ* MCCLXIV. eidem Abbati XL. libras argenti ſolverent, ſalvis Abbati actionibus quas habet contra ſingulares perſonas: de injuriis autem poſt *Paſcha* prædictum illatis coram Abbate vel ſuo Juſticiario reſpondebunt, & in forma juris parebunt, & ſi recuſaverint, à communitate Villæ expellentur; ad quod fideliter exequendum XXIV. de majoribus pro ſe & hæredibus ſuis & ſucceſſoribus corporale ſacramentum præſtiterunt; & ſcripto in modum Chirographi confecto ſigilla ſua appoſuerunt.

Breve recognitionis hanc concordiam (ut videtur) confirmans extat in eodem Regiſtro *W. Pinchbeck* fol. 1.

Abba-

Abbatum qui poſt *Simonem* de *Luton* Eccleſiam rexerunt Catalogus è collectaneis *Jacobi Burrough* A. M. Collegii *Caio-Gonvillenſis Cantabrigiæ* Socii.

	Creati Anno Domini	Anno Regni	Rext. annos	Eccl. Ob. A.D.
Joannes de *Norwold*	1279	7 *Edw.* I.	22	1301.
Thomas de *Tottington*	1301	29 *Edw.* I.	11	1312.
Richardus de *Draughton*	1312	6 *Edw.* II.	23	1335.
Gulielmus de *Bernham*	1335	9 *Edw.* III.	25	1361.
Henricus de *Hunſtanton*	1361	electus ſed obiit ante Confirmationem.		
Joannes Brinkeley	1361	35 *Edw.* III.	17	1379.
Papa *Innocentius* contulit Abbatiam illi. Vacavit per VI. annos.				
Joannes Tinmouth	1384	7 *Ric.* II.	7	1390.
Gulielmus Cratefeild	1390	13 *Ric.* II.	37	1427.
Gulielmus Exeter	1427	5 *Hen.* VI.	2	1429.
Gulielmus Curtis	1429	7 *Hen.* VI.	28	1457.
[*Gulielmus Babington*]	Hujus nomen in Regiſtris occurrit A.D. 1447 & 1453.			
Joannes Boon	1457	35 *Hen.* VI.	18	1475.
[*Robertus* † *Ixworth*]		10 *Edw.* IV.	4 & dimid.	
Richardus Hengham	1475	15 *Edw.* IV.	3	1478.
Thomas Ratteſden	1478	18 *Edw.* IV.	36	1514.
[*Gulielmus Codenham*]	1508			
[*Gulielmus Bunting*]	1511			
Joannes Reeve al. *Melford.*	1514	5 *Hen.* VIII. Reſignavit Conventum Pridie Non. *Nov.* Anno regni *Hen.* VIII. 31°. A. D. 1539. Obiit A. D. 1540.		

† Prout in Reg. *Croſtis* apparet. Vide etiam Lit. Attorn. *Roberti* Abbatis prope finem.

Abbatum, de quorum ſucceſſione minus certa eſt autoritas, nomina uncis incluſimus, quæ in Catalogo MS. Charactere ab aliis diverſo diſtinguuntur: omnes autem *Williſius* è collect. cl. *Tanneri* inſerit, & in additamentis ſuis MS. *Roberto* de *Ixworth* cognomen *Coot* tribuit.

Codices MSS. quibus in his Antiquitatibus Autor uſus eſt.

RUbrum Regiſtrum A. ſive Liber primus Allocationum.

Rubrum Regiſtrum B. quod in *Notitia Monaſtica* Regiſtrum rubeum contextum tempore Regis *Henrici* VI. nominatur.

Regiſtrum Sacriſtæ.

Album Regiſtrum Veſtiarii.

Nigrum Regiſtrum de Veſtiario.

Regiſtrum Alphabeticum.

Hos Autor interdum ut Codd. *J. Cradock* citat, penes quem olim erant, nunc autem in Bibliotheca regia *Cantabrigiæ* reponuntur.

Hiſtoriola *Galfridi* de *Fontibus* de pueritia *S. Edmundi*. In Bibliotheca publica Acad. *Cantab.*

Codex MS. pag. 3. citatus in Biblioth. Coll. *Trin. Cantab.*

Officium pro defunctis MS. olim penes Autorem.

Supplementum ad *Florentium Wigornienſem* in Biblioth. Coll. *Corporis Chriſti Cantab.*

Regiſtrum *Will. Curteys* in Muſæo Viri rev. *Cox Macro* S. T. P. de *Norton* juxta *Wolpet* in Com. *Suffolc.*

Codex *Lichfeldenſis* continens *W. Malmeſburienſis* Vitas Pontificum. Idem fortaſſe quem cl. *Whartono* communicavit *Lancelotus Addiſon* S. T. D. *Lichfeldenſis* Decanus; in quo, ut *Whartonus* in Præfatione ad *Angliæ* Sacræ Vol. 1. pag. xxxvi. tradit, intermiſcetur Hiſtoria Regum *Merciorum*, *Anglorum*, & *Normannorum*.

Regiſtra in Archivis *Burienſibus*, in Officio Regiſtrarii *Burienſis*, & in Archivis Archidiaconi *Sudburiæ*.

Regiſtrum *Lakingheth*, & Chronicon *Jocelini* de *Brakelond*; qui, ut Antiqui Codd. alii olim penes digniſſimum Præſulem *Edw. Stillingfleet* Epiſcopum *Wigornienſem*, cum cæteris ejuſdem Præſulis MSS. in Bibliotheca *Harleyana* reſervantur;

In qua etiam Bibliotheca.

Regiſtrum *Croftis*, Reg. *Worketone* & Reg. *Swaffham*.

In Bibliotheca *Cottoniana*.

Jo. de *Oxenedes* de Succeſſione Abbatum *Hulmenſium*.
Nero D. II. 3.
Gulielmus Croilandenſis. *Vitellius* D. 14.

In Bibliotheca *Lambethana*.

Autor Vitæ & Paſſionis S. *Edmundi* abbreviata &c.
Chronicon *Elienſe*.
Tho. Rudburn.
Continuator Chronici *Mariani Scoti*.

In Archivis Eccleſiæ *Chriſti Cantuariæ*.

Regiſtrum Eccleſiæ *Chriſti Cantuar*. de rebus extra *Cantuar*.
Regiſtrum de privilegiis &c.
Arbitrium originale de lite inter Archiepiſcopum *Cantuarienſem* & Canonicos *Lambethanos* terminanda.

Qui cætera ſcripta Antiquitates *Burienſes* ſpectantia conſulere velit, cl. *Tanneri Notitiam Monaſticam Londini* A. D. 1744. editam adeat; in qua omnium ſedes quaſi digito indicantur; niſi quod IV. Volumina, quæ *Notitiæ* Editor inter digniſſimi Præſulis MS. in Bibliotheca *Bodleiana* reſervata eſſe credidit, (viz. Rubrum Regiſtrum B, Regiſtrum Sacriſtæ, Album Regiſtrum Veſtiarii, & Nigrum Regiſtrum de Veſtiario) ex decreto Viſitatorum Bibliothecæ *Bodleianæ* Academiæ *Cantabrigenſi* reddita ſint, & in Bibliotheca regia ibidem quærenda.

Chartæ

Chartæ *Edwardi* Regis & Confeſſoris p. 134. vernaculè editæ Verſio *Latina*.

Edwardus Rex ſalutat *Aylmerum* Epiſcopum, & *Girthum* Comitem, & *Toly*, & omnes meos Thanos in Orientali *Anglia* amicè. Notifico autem vobis quod dederim *Baldwino* Abbati unum Monetarium intra S. *Edmundi* Burgum, tam liberè in omni re habendum, quam ego meos [monetarios] uſquam in quovis meorum Burgorum habeo, omnium liberrimè. Deus ſit vobis omnibus amicus.

Notulæ *W. Worceſter* de Area & Ædificiis Monaſterii S. *Edmundi*, regnante *Henrico* VI. (ut creditur) conſcriptæ. E codice MS. in Bibl. Coll. *Corporis Chriſti Cantabrigiæ*.

Longitudo Curiæ magnæ infra præcinctum Monaſterii de *Berye* continet 240 greſſus meos. Latitudo ejus 120 greſſus.

Longitudo & Latitudo quadrangularis Clauſtri *Bury* continet ex omni parte 80 greſſus.

Longitudo Navis Eccleſiæ Monaſterii de *Bery* continet 150 greſſus meos, Longitudo Campanilis in medio Eccleſiæ Navis à dicto numero 150 greſſuum continet 20. greſſus. Latitudo Brachii Meridionalis Eccleſiæ à pede Campanilis ad Portam Meridionalem continet 43 greſſus. Longitudo Chori à pede Orientali Campanilis prædicti uſque ad Capellam B. *Mariæ* continet 70. greſſus meos. Et ſic tota Eccleſia Monaſterii cum Choro & Campanile à Capella B. *Mariæ* ad Portam Occidentalem continet 240 greſſus.

Longitudo Capellæ B. *Mariæ* ex parte Boreali Chori, ubi *Tho. Beauford* jacet ſepultus continet 40 greſſus. Latitudo ejus continet 21 greſſus.

Longitudo de *Le Chapiter Houſe* continet 50 greſſus. Latitudo ejus 50. greſſus.

Longitudo Cryptæ B. *Mariæ* ſubtus Scrinio S. *Edmundi* continet 50 greſſus. Latitudo ejus continet 40 greſſus. Eſt ibi fons pulcherrimus, & in dicto ſpatio ſunt 24 Columnæ.


XX

Longitudo de *Le Frayter* continet VIII XI. (i. e. 171.) pedes, vel 90 greſſus Latitudo 21 greſſus, vel 40 pedes.

Ex his Autoris verbis conſtat, quod in parte Monaſterii *Le Frayter* dicta, ipſius greſſus 2 pedibus demptâ ſeſquiunciâ fere æquales fuerint; in Eccleſia autem dimetienda greſſus ſinguli 2 pedibus additâ ſeſquiunciâ paulò longiores ſunt, totam enim Eccleſiam 240 greſſus continere tradit, quam longam fuiſſe pedes tantum 513 ejuſdem veſtigia, quæ hodie ſuperſunt, oſtendunt: cum in partibus igitur quarum longitudinem certam & definitam colligere licet, greſſus à 2 pedum menſura vix ultra ſeſquiunciam hinc inde diſtent, ſi quis in reliquis partibus illos ad intermediam 2 pedum longitudinem revocet, à vera ſingularum magnitudine, quam rei Antiquariæ ſtudioſi in hac Monaſterii deſcriptione deſiderari exiſtimârunt, non multum aberrabit.

FINIS.

LEE WARNER Armigero
de Walsingham in Agro Norfolciensi
hanc Tabulam,
quæ celeberrimi in Icenis suis Monasterij
Reliquias, brevi fortasse perituras,
Posteris spectandas conservet,
D.D.D.
Ol. Battely.



I. Burrough delin. 1720.


10 20 30 40 50 60 70 80 90 100
Scala Pedum

Palatij Abbatis S.ti EDMUNDI Pars.

4b

Tab. II.

Doctissimis Viris
Societatis **Antiquariorum** *Londinensis*
PRAESIDI & SOCIJS
hanc Ichnographiam Eccles. Monasterij S.ti Edmundi
quam ab interitu vendicavit JAC. BURROUGH *A.M.*
ejusdem Societatis & Coll. CAIO-GONVILL. CANTAB. Socius
D.D.D. Ol. Battely




Tota Ecclesia cum Campanili & Choro & Capella
B.ae MARIÆ Virginis longa est pedes 513.
Lata est à Porta Brachij Meridionalis ad Portam
Septentrionalem oppositam pedes 223.

I. Burrough delin. 1718.

Tab. II.

Doctissimis Viris
Societatis **Antiquariorum** *Londinensis*
PRAESIDI & SOCIJS
hanc Ichnographiam Eccles. Monasterij S.ti Edmundi
quam ab interitu vendicavit JAC. BURROUGH *A.M.*
ejusdem Societatis & Coll. CAIO-GONVILL. CANTAB. Socius
D.D.D. Ol. Battely



Tota Ecclesia cum Campanili & Choro & Capella
B.ae MARIÆ *Virginis longa est pedes 513.*
Lata est à Porta Brachij Meridionalis ad Portam
Septentrionalem oppositam pedes 223.

I. Burrough delin. 1718.